

SIC LÆTA QUIESCO

SYMBOLARVM
LITTERARIARVM
VOLVMEN I.

181

SYMBOLAE
LITTERARIAE
OPVSCVLA VARIA

PHILOLOGICA SCIENTIFICA ANTIQVARIA
SIGNA LAPIDES NVMISMATA GEMMAS
E T
MONVMENTA MEDII AEVI
NVNC PRIMVM EDITA COMPLECTENTES

VOLVMEN PRIMVM

Ornatum Tabulis II. *aere inciſis*



FLORENTIAE. CIƆ. IƆ. CC. XLVIII.

EX IMPERIALI TYPOGRAPHIO
PRAESIDVM PERMISSV

ANGELO MARIAE
QVIRINO
SANCTAE ROMANAE ECCLESIAE
CARDINALI EMINENTISSIMO
EIVSDEMQVE
BIBLIOTHECARIO DOCTISSIMO
BRIXIAE PONTIFICI OPTIMO
AD AVGENDAM AMPLIFICANDAMQVE
APOSTOLICAE SEDIS GLORIAM
CHRISTIANAE RELIGIONIS ET FIDEI
SPLENDOREM VERITATEM DECVS
MAXIMIS EXHAVSTIS LABORIBVS
REBVS DOMI FORISQVE PRAECLARE GESTIS
EDITIS EDENDISQVE ALIIS EGREGIIS LIBRIS
PROPAGANDVM TVENDVM
FELICITER NATO

IN OMNIVM ORDINVM HOMINES MVNIFICO
OBVIA IN CVNCTOS HVMANITATE CONSPICVO
OMNIGENAE ERVDITIONIS LAVDE CELEBERRIMO
DOCTORVM HOMINVM MAECENATI BENEFICENTISS.
SCRIPTIS SVIS AMICITIISQ. CLARORVM VIRORVM
ADMIRATIONEM ATQ. AETERNVM NOMEN ADEPTO

PERLVSTRATA

SVPERIORE ANNO RHETIA ET HELVETIA
SVMMO FRVCTV LAVDE ET VOLVPTATE
CVLTORVM PIETATIS SOLATIO AC PLAVSV
VIRGINVM ET PAVPERVM SVBSIDIO
ALVMNORVM IN GYMNASIIS PVBLICIS
AD HOC INSTITVTIS MIRO PROGRESSV
OB ITVM REDITVMQVE VERNVM
HOC ANNO CIↃ. IↃ. CC. XXXVIII.
INTRA DVOS MENSES INGENTI ALACRITATE
ET CONSTANTIA PER GERMANIAM CONFECTVM

PERLVSTRATIS SUE VICIS
BENEDICTINI ORDINIS ECCLESIIS ET MONASTERIIS
SOLEMNI RITV MAGNIFICO ADPARATV AC POMPA
CONSECRATO IV. EIDVS MAIAS
CAMPIDONENSI ABBATE
VBIQVE PRO ROMANA ECCLESIA PATEFACTIS
CVRIS SVIS
PERSCRVTATIS INSIGNIORIBVS BIBLIOTHECIS
AD CONQVIRENDOS APERIVNDOSQVE
ALIOS CVM SACRAE TVM PROFANAE ERVDITIONIS
THESAVROS
LOCVPLETATIS PIISSIMI CARD. REGINALDI POLI
EPIGRAPHICIS HISTORIIS. EDITISQVE EIVS
ET PAVLI III. PONTIFICIS MAXIMI
ADVERSVS HETERODOXORVM OBIECTAS
CRIMINATIONES
VINDICIIS

QVIBVS ROMANAE CATHOLICAE ECCLESIAE
VICTORIAM OBTINVIT
SIBI DECVS PEPERIT SEMPITERNVM
QVOD PRAESVLES AC PRINCIPES
SIBI OBVIAM EVNTES
HOSPITIO COMPLECTENTES
DOCTOSQVE VIROS
AVT COMITANTES AVT OBSEQVENTES
ARCTIVS SIBI DEVINXERIT
EFFVSIS LARGITIONIBVS
AD EXIMIA OPERA IN LVCEM EDENDA
EXCITATIS CLARIS INGENIIS
LOCVPLETATIS INSIGNIORIBVS SVAE DIOECESEO
MONASTERIIS PAROECIIS XENODOCHIIS
VETEREM ECCLESIASTICAM DISCIPLINAM
LONGE LATEQVE EREXERIT AVXERIT

DEMVM SOSPITEM ATQVE INCOLVMEM
BRIXIA VENETA
PIA FELIX QVIRINA
INGENTI PLAVSV OMNIBVS LAETITIAE
ATQVE AMORIS SIGNIFICATIONIBVS
FELICITER REDEVNTEM EXCEPERIT
VT CATHEDRALEM ECCLESIAM
PRAECLARIS ORNAMENTIS A SE DITATAM
NOVAMQ. BIBLIOTHECAM QVIRINIANAM
SVA LIBERALITATE A FVNDAMENTIS EXSTRVCTAM
INSIGNI LIBRORVM RARIORVM COPIA
REFFRTAM PERFICIAT
ALIISQ. DOCTRINAE SVAE DIVITIIS AVGEAT
VENETIQ. NOMINIS
SVMMO HONORE ET CLARITVDINE
SVCCESSORVM EPISCOPORVM ADIVMENTO
STVDIOSORVM PVBLICAE VTILITATI APERTAM
ORNET SERVET AMPLIFICET

ANTONIVS FRANCISCVS GORIVS
CLIENS OMNIVM HVMILLIMVS
ADMIRANDA
HERCVLANEI
ANTIQVI RESVRGENTIS
EODEM EMINENTISSIMO PRINCIPE
SVADENTE ET HORTANTE
COMMENTARIO A SE ILLVSTRATA
PERENNE SVI GAVDII OBSEQVII
GRATIQVE ANIMI TESTIMONIVM
AETERNVM GRATVLATIONIS SVAE MONIMENTVM
VNA SECVM PLAVDENTE
SOCIETATE COLVMBARIA FLORENTINA
PRIDIE KAL. IVN. EIVSD. AN. CIↃ. IↃ. CC. XLVIII.
QVA DIE BONVS PASTOR AD OVES SVAS
AVSPICATISSIME REVERSVS EST
VENERABVNDVS OFFERT DEDICAT CONSECRAT

PRAEFATIO.

PRaeclarum iſtud Plinii Iunioris monitum, ex quo mihi legenti occurrit in Epiſtola VII. Libri VIII. *Quicquid eſt temporis futilis, & caduci, ſi non datur factis (nam horum materia in aliena manu) nos certe ſtudiis proferamus: & quatenus nobis denegatur diu vivere, relinquamus aliquid, quo nos vixiſſe teſtemur*: adeo meo inſedit animo, turpi otio, & deſidiae infenſiſſimo, ut nullam quovis tempore ſine linea diem effugere ſategerim. Dum interim alia Volumina, ſeu Muſei Etruſci, ſeu Diptychorum parantur, ſtatui, ut teſter, me, Deo auxiliante, vivere, Opuſcula quae-

quaedam omnigenam eruditionem complectentia in lucem proferre, quae erudito Genio huius SAECVLI FRVGIFERI ſpero fore haud prorſus inutilia, ac iniucunda. Haec mihi, ut quamprimum praeſtarem, ſedulo meditanti, duo potiſſimum anſam dedere; adſidua nempe antiquorum monumentorum, rerumque ſcitu lectuque dignarum collectio, quibus Adverſaria mea cumulavi: deinde Clarorum Virorum amicitia, qui frequenter iucundiſſimo epiſtolarum commercio mecum ſtudia ſua conferre ſolent, ac priſci aevi delicias cum delineatas, tum accurate deſcriptas una cum lucubrationibus ſuis ad me mittunt; qui etiam ſtatim ac me haſce SYMBOLAS LITTERARIAS prolaturum audierunt, conſilium, & laborem adeo probarunt meum, ut & ipſi ad haec Eruditionis fercula publico bono inſtruenda ſymbolam ſuam conferre voluerint, eamque ſtatim humaniſſime obtulerint: inter quos primum memorare lubet doctiſſimum amicum meum optimum IOANNEM BAPTISTAM PASSERIVM Piſaurenſem, qui plane, ni curis nimiis, Eccleſiaſticis muniis, & officiis diſtineretur, multo maiora,
& alia

& alia plura procul dubio magno bonarum Artium, & Litterariae Reipublicae beneficio, atque ornamento praeſtaret; vir profecto nulli ſecundus, feliciter natus ad augendam ſcriptis ſuis huius aetatis gloriam maximam, atque immortalem. Reliqui omnes Amici mei optimi, qui mea haec ſtudia iuvarunt, ſive etiam ſymbolas ſuas contulerunt, vel aliorum Opuſcula ἀνέκδοτα luce digna communicarunt, in reliquis edendis Praefationibus omni laude pro eorum meritis cumulabuntur, & grati animi mei teſtimonia obtinebunt.

Haud igitur te diutius morabor, LECTOR HVMANISSIME, nec inanibus verbis ludam, ſed quae in animo ſunt, factis praeſtabo. Opuſcula, quae in ſingulis hiſce Voluminibus colligentur, & proferentur, reiecta futilium farragine, cum ordine quodam, ac mutua quadam inter ſe connexione producentur. Plane omnia erunt inedita; pauca quaedam quandoque interſeram, edita quidem, ſed adeo rara, ut pluribus adhibitis curis, vel quovis immani pretio ſoluto, acquiri aut obtineri vix poſſint. His quoque, ubi opus erit, *Auctarium* meum adiiciam, vel Ami-

Amicorum. Proferam etiam non pauca ſequioris aevi Monumenta, atque ea potiſſimum, quae ad Hiſtoriam cum ſacram tum profanam illuſtrandam ſunt utiliſſima, & animadverſione digna.

Ad hanc ſubeundam provinciam me quoque Virorum doctorum exempla excitarunt, praeſertim vero domeſtica Illuſtrium ITALORVM: inter quae ob oculos frequenter habui MISCELLANEA ITALICA ERVDITA, quae collegit Litteratorum beneficio Vir praeclarus & doctus Gaudentius Robertus, Carmeliticae Congregationis decus, & Parmae typis excudenda curavit anno MDCXC. brevi temporis ſpatio editis quatuor tantum Voluminibus, quae a doctis Muſarum Cultoribus multo favore & plauſu ſuſcepta ſunt: quae poſtea ita excitarunt doctiſſimum Ioannem Georgium Graevium, & celeberrimum Iacobum Gronovium, ut inſignem totoque Orbe laudatiſſimum illum THESAVRVM GRAECARVM & ROMANARVM ANTIQVITATVM, ex pluribus magni nominis praeſtantium Virorum Operibus veluti tot gemmis refertiſſimum, atque ornatiſſimum concinnarint. Nil dico de Iani Gruteri Lampa-

pade, ſive Face Artium Liberalium, hoc eſt *Theſauro Critico*; nil de *Miſcellaneis Obſervationibus Criticis Novis* in Auctores veteres & recentiores, quod Opus praeclariſſimum propoſuit, ornavit, inſtruxitque, & ſuis doctiſſimis lucubrationibus locupletavit apud Batavos Vir Doctiſſimus ac Nobiliſſimus Amicus meus, Iacobus Philippus D' ORVILLE: nil de *Miſcellaneis Lipſienſibus*, quae in lucem prodeunt, curante praeſertim Viro Clariſſimo Friderico Ottone MENCKENIO; nil etiam de Collectaneis ſcientificorum Opuſculorum Calogerianis, & Miſcellaneis eruditis Venetiis excuſis: nil de Veronenſibus Litterariis Obſervationibus, ne quid etiam dicam de *Lamianis Deliciis*, Florentiae editis, quae omnium conſenſu Litterariam Rempublicam maximis opibus, & ſubſidiis, & multa luce ita ornarunt, & adhuc ornare pergunt, ut nemo ſit, qui hoc conſilium, hoſque labores non conlaudet. His praeſtantium Virorum curis aliquid ſimile pro ingenii mei modulo moliri paratus ſum, ſi doctorum Vetuſtatis Cultorum favor mea vota obſecundaverit, & Deo dante, vires ſuffecerint. Probe video Opuſcula haec valde deſide-

ſiderari, & lubentiſſime legi a magnis quoque Viris, quum in ambitu brevium plagularum multa contineant, obſervatu ſcituque digna, quae intra paucas horas ſubciſivas, ſine magna temporis iactura vel legi, vel expendi iucundiſſime poſſunt.

Primum heic capere exordium libuit ab ANTIQVITATIBVS HERCVLANENSIBVS, de quibus toto Orbe iamdudum tam mira dicuntur, ut vix aliquï fidem adhibeant; deficientibus ad hoc uſque tempus teſtibus fideliſſimis, qui eas ſe vidiſſe, atque egeſtionibus ipſis ſe interfuiſſe publice teſtati ſint: qui etiam in his deſcribendis maturo iudicio, priſcarumque rerum ſtudio, & cognitione emineant. Siquidem nonnulli, qui eas leviter deſcripſerunt, aliorum narrationes, interdum fabulis conmixtas, ſecuti ſunt, & ignaris, ut quaeſtum facerent, ſedulo obtruderunt. Hinc Vir Celeberrimus P. Paciaudius Cler. Regul. Teatinus, nuper me monuit, ſe nunquam ſcripſiſſe Epiſtolam illam (licet eruditam, nec omnino improbandam, quae heic repetitur) editam inter Calogeriana Opuſcula Tom. XXXVIII. in qua varia HERCVLANENSIVM iam eruta monumenta breviter indicantur. Fa-

Favente mihi ſorte quadam aeque benefica ac propitia, peropportune contigit Epiſtolico doctorum Amicorum Commercio tam probe in his inſtructum eſſe ab eruditiſſimis Viris, qui ea viderunt, & dum effoderentur interfuerunt, ut iiſdem editis Epiſtolis, multa colligere potuerim, multa illuſtrare, quae ex iiſdem erutis ADMIRANDIS MONVMENTIS nobis una cum Vrbe praeclariſſima, & opulentiſſima, noſtra aetate, ut ita dicam, ab inferis revocata ac reſurgente, cura, & ſtudio CAROLI BORBONII, Incluti utriuſque Siciliae Regis, nunc primum innotuerunt. Quo ordine ſingula complexus expoſuerim, ſubiectus Paragraphorum Index oſtendit.

Antequam has meas lucubrationes proferrem, cupiebam, ut ipſi Neapolitani, queis tot Theſauri Vetuſtatis expoſiti ſunt, omnium primi, ut decet, micantem facem ſuam extollerent, & tanquam Prodromi praeirent, iterque nobis oſtenderent: quare iam tribus fere ab hinc menſibus, volumen hoc iam excuſum in ergaſtulo meo ita coërcebam, cohibebamque, ne in lucem prodiret, ſperans hoc

temporis intervallo eorum curis mihi propoſitis, perbelle multa ſcitu digna decerpturum, adeoque multa adiecturum, ut abſolutum hoc opus cenſeri poſſet. Serius, quam oportebat, Praeclariſſimus Marchio, & Eques Marcellus Venutus, Patricius Cortonenſis, Deſcriptionem ſuam prelo ſubiiciendam cenſuit, quae, ut ſperat, Romae excudetur. Is dum Neapoli in Aula regia verſaretur prioribus egeſtionibus interfuit, primuſque Theatrum, atque eius inſignia ornamenta detexit, ac Regi deſcripta, atque a ſe illuſtrata oſtendit, quae humaniſſime ab eo probata ſunt, & laudata. Mox ad idem praeſtandum excitatus eſt doctiſſimus Iacobus Martorellius, in Regio Neapolitano Athenaeo Graecarum Litterarum Profeſſor, multiplici antiquarum rerum cum ſacrarum, tum profanarum cognitione, adſidua Homeri illuſtratione, & Orientalium Linguarum peritia laudatiſſimus; nam & ipſe licet moras nunc nectat, feſtinationis oſor, HERCVLANENSIVM ANTIQVITATVM uberrimam Deſcriptionem abſolvet, ut publici iuris faciat. Hi igitur una cum aliis doctis Viris, datis ad me Epiſtolis ſuis eruditiſſimis,

mis, in cauſa fuere, ut mei quoque ingenii, licet plane exigui, periculum facere conarer; quemadmodum feceram in proferendo, atque illuſtrando Columbario, ſeu Monumento Libertorum ac Servorum Liviae Auguſtae, & Caeſarum, innixus optimis fundamentis, nempe Epigraphico Commercio Viri Clariſſimi Franciſci Equitis Victorii, qui ob oculos meos illud poſuerat, atque effecerat, ut licet abſens, Theſaurum illum vetuſtae eruditionis quaſi praeſens contemplarer, ac de eo diſſererem. Sed quae forte deſunt in meis hiſce veluti praeviis Exercitationibus, vel corrigenda, vel enucleatius illuſtranda, ea in ſequentibus Voluminibus depromam, poſtquam aliorum labores deguſtavero, & videro monumenta ipſa in lucem edita, quae nunc regiis impenſis compluribus ex aere Tabulis accurate inciduntur. Perpulcrum, ac maxime, ut puto, tunc iucundum erit videre integram Triremem antiquiſſimam, terno remorum ordine inſtructam, nuper inter HERCVLANENSIVM rudera inventam, eiuſque ſtructuram, remorum ordines, & inſignia conſpicere, ac ſingula arma, & varia

inſtrumenta, quae ad hoc tempus ignota fuerunt, propriis oculis perveſtigare; quae omnia Clariſſimo Praeſuli Baiardo, Patricio Parmenſi, cui regio iuſſu praeclarum hoc munus demandatum eſt, aliiſque doctis Viris peramplam diſſerendi materiam praeſtabunt.

Idem interim Celeberrimus Martorellius miſit ab eximio doctoque Pictore delineatam Equeſtrem marmoream Statuam M. Nonii Balbi, quam primus omnium in lucem, eo auſpice, poſt immenſas propemodum difficultates profero, ut flagrantiſſimo Eruditorum Genio, edito tam inſigni Sculptoriae artis (ut omnes, qui viderunt, unanimi conſenſu fatentur) miraculo, faciam ſatis. Pictor antiquitatis peritiſſimus, quod villam ſuam Herculaneo, ſive Reſínae proximam habeat, facile potuit vel centies itu redituque repetito, miſſam graphidem illam delineare (quum omnibus regio iuſſu id facere cum de hoc tum de ceteris Monumentis, ſcriptis Marmoribus, Statuis, & Picturis prohibitum fuerit) & mihi tradere, ut & ipſi bonas litteras iuvarent; quibus pro tot curis, & beneficiis ſum longe devinctiſſimus.

Dum

Dum haec ſcribo, hac ipſa die, nempe XIII. Kal. Septembres, accipio epiſtolam ab eodem Cl. Martorellio exaratam, qua me monet adamuſſim ita exſcriptum eſſe elogium illud Balbianae Equeſtris Statuae, non ut antea ipſe deſcriptum miſerat, ac mihi obtulerat; & quidem hoc prorſus modo:

M. NONIO. M. F
BALBO. PR. PRO. COS
HERCVLANENSES

Miror quammaxime perbreve hoc elogium ab eruditis Neapolitanis, & ab aliis quoque peregrinis, tam multis variiſque modis ſemper exſcriptum: etſi probe ſciam regio iuſſu cautum, ne quis exſcriberet, vel adumbraret monumenta ipſa, licet publico omnium conſpectui expoſita: ſed facile, prout iacet, memoriae mandari poterat, atque unico intuitu redigi ad genuinam ſcripturam, ac lectionem: quod in cauſa fuit, ut ieiune ſatis de eodem elogio verba fecerim, de genuina ſcriptura adhuc dubius, & incertus. Addito quodam Programmate, iam agere meditatus

tus ſueram *De claris Noniis apud Campanos*, & non pauca ex editis marmoribus, quae brevibus obſervationibus illuſtrarem, collegeram; ſed hiſce difficultatibus deterritus, in aliud tempus hanc curam reiiciendam eſſe cenſui.

Summa difficultas in hoc verſatur, ut notae illae P . R . PRO . COS (non ut alii perperam exſcripſerunt PR . PRO . COS) perſpicue explicentur; quae mihi veroſimilius declarare videntur *M. Nonium Balbum* fuiſſe *Praetorem* ac *Proconſulem*, uti primum ad Amicos Neapolitanos ſcripſeram, idque etiam inferius a me obſervatur, pag. 163. Primus Litteratorum omnium Coryphaeus EMINENTISSIMVS PRINCEPS QVIRINVS, Elogium hoc Epiſtolica Diſſertatione ad Celeberrimum Ioannem Mathiam GESNERVM pereruditе, ut ſolet, explanavit, quae in Paragrapho XIX. a me adfertur. Vt ea in lucem prodiit, miſſaque eſt ab eodem S. R. E. Bibliothecario Doctiſſimo ad eximios Profeſſores, Venerandae Antiquitatis Interpretes eruditiſſimos, ita eos omnes excitavit, ut idem Elogium ſuis lucubrationibus ſe brevi illuſtraturos ſpem fecerint, Commentarium

ſuum

ſuum promiſit idem Cl. GESNERVS; promiſit egregius Ioannes Willelmus FEVERLINVS; promiſit Illuſtris Ioannes Henricus LEICHIVS Lipſienſis; promiſit Ioannes HAGENBVCHIVS, Turicenſis Academiae Profeſſor inſignis, quem Oedipum Vetuſtatis peramice, ſed re ipſa vere, compellare ſoleo; quin, ut audio, quum eorum lucubrationes nunc excudantur, brevi nos ſelecta eruditionum, atque obſervationum ſuarum fruge donabunt.

Addet & ſymbolam ſuam ſatis luculentam Celeberrimus Hermannus Samuel Reimarus, qui novam inſignem Dionis editionem ac recenſionem quamprimum in lucem mittet. Nec alii deerunt praeclari Viri, qui idem ſaxum volvant, illuſtratiſque HERCVLANENSIBVS ANTIQVITATIBVS, ſcriptis ſuis, de nobis, ac de poſteris optime mereri velint. Tanti ponderis eſt fuitque apud celeberrimos priſcorum Monumentorum Cultores Eminentiſſimi Principis, CLEMENTISSIMI mei MAECENATIS, exemplum, ac tanquam e ſublimi ſpecula ante omnes alios ſublata fax fulgidiſſima.

Supererat alterum propter raritatem ac vetuſtatem, Etruſcamque epigraphen, inſi-

gne monumentum, nempe lapidea MENSA animalium pedibus impoſita, inter rudera HERCVLANEI effoſſa anno CIↃ. IↃ. CC. XXXIX. quam, me rogante, intra biduum erudi-tiſſima Diſſertatione explicavit, illuſtra-vitque praelaudatus Ioannes Baptiſta PAS-SERIVS, quam pro coronide huius Volu-minis adieci. Non paucae typothetarum in hoc Volumine maculae occurrunt, quas omnes ipſis feſtinantibus delere vix potui; quapropter eas in fine indicavi, & cum his nonnulla addenda coniunxi. Interim benevolus Lector aequi bonique conſulet, & favorem potius, ut ſpero, quam cri-minationes, quod inhoneſti, & maligni hominis eſt, rependet.

ADMIRANDA
ANTIQVITATVM
HERCVLANENSIVM
DESCRIPTA ET ILLVSTRATA

A B

ANTONIO FRANCISCO GORIO
PRAEPOSITO BASILICAE BAPTISTERII
FLORENTINI
IN PATRIO LYCEO
PROFESSORE

PARAGRAPHORVM INDEX

§. I.

OCcaſio ſcribendi de Admirandis Antiquitatum HERCULANENSIVM. pag. 1.

§. II.

PLAVSVS ORBIS LITERATI SEPTENTRIONALIS

Ob vetera Monumenta, quae ex recens detecta Herculanei Vrbe in Regno Neapolitano eruuntur.

Ex Programmate Io. Mathiae Geſneri, Publici in Regia Academia Goetticenſi Profeſs. pro ſolvendis eiusdem Academie Votis Decennalibus, noviſque nuncupandis, publicato Goettingae menſe Septemb. An. MDCCXLVII. pag. 2.

§. III.

Studium illuſtrandi Antiquitates Herculanenſes. Hae quoque deſcriptae in Annalibus Societatis Columbariae Florentinae ex Epiſtolis Amicorum, qui recenſentur. pag. 7.

§ IV.

Herculanei ſitus, & finitima loca adnotata: qui nam primi eius vetuſtiſſimi incolae. pag. 9.

§. V.

Herculanenſium Nummus aereus plane ſingularis, litteris Etruſcis inſcriptus, adſertur, & illuſtratur. pag. 11.

§. VI.

De Mercurio expreſso in antica eiuſdem Nummi. Hercules oppidi Herculanei conditor. Nummi antiquiſſimi in Hiſpania cuſi cum noſtro in utroque typo non parum conveniunt. pag. 12.

§. VII.

Herculem non ſolum ab Herculanenſibus cultum, ſed & in Campania tota, vetera monumenta, lapides, & Scriptores oſtendunt. Theſaurus inſcriptorum Marmorum Neapolitani Regni a quibus collectus. pag. 14.

§. VIII.

Herculanei varia fata, & ruinae indicantur. p. 16.

§. IX.

Quando Herculaneum & terraemotu vexatum, & Veſuvii eruptione terra penitus obrutum. Quae, & quanta Antiquitatis inſignia Monumenta hodie in Italia eruantur. pag. 17.

§. X.

Quanto conatu ſtudioque antiqua Monumenta hodie in Italia, & Etruria illuſtrentur, & in lucem proferantur, breviter declaratur. pag. 31.

§. XI.

Primae egeſtiones prope Regiam Villam, cui a Porticibus nomen, quando factae. Herculis Simulacrum marmoreum, & Templi reliquiae inventae. Inſignis baſis marmorea ornata inſertis litteris aheneis nomine Appii Pulchri, Caii filii, ibidem inventa. Coniicitur Herculis Templum eo in loco conditum fuiſſe. pag. 105.

§. XII.

Inventa baſis in ruinis Templi Herculanenſium, inſcripta nomine Appii Pulchri, Caii F. elucidatur. Clarum apud Neapolitanos eiusdem Appii Pulchri nomen, ex alio antiquo marmore Neapolitano colligitur. Error eorum, qui Retinam ſub Miſeno, cum Retina, ſive Reſina, pago Herculanenſium, male confundunt. pag. 110.

§. XIII.

HERCVLANEI *Oppidi, & Municipii ſtatus: a quo Colonia Romanorum factum: qui Magiſtratus eius fuerint, declaratur: Annia Familia in tota Campania valde illuſtris.* pag. 117.

§. XIIII.

Herculanenſium reliqua Templa, inter quae Herculis Templum picturis ornatiſſimum, atque eius aheneo ſimulacro, & menſa praenobile; ſigna Deorum, Dearumque nuper inventa recenſentur, & obſervationibus illuſtrantur. pag. 126.

§. XV.

Sepulcrum picturis variis ornatum, in ruinis Herculanei inventum deſcribitur, & obſervationibus nonnullis picta Mercurii puerum Bacchum ad Leucotheam deferentis fabula illuſtratur. pag. 135.

§. XVI.

Theatrum Herculanenſium, atque eius ornamenta deſcribuntur: Laſenae, & Capacii opiniones de eius exitio refelluntur. pag. 140.

§. XVII.

Expenditur a quo non conditum ſit Theatrum, & Orcheſtra Herculanenſium; & qui fuerit eiusdem Architectus. pag. 150.

§. XVIII.

Statuae Caeſarum, & illuſtrium Virorum in Herculanenſibus ruderibus inventae: Herculanenſium Familiae ſplendidiſſimae, iisdemque decreti honores declarantur. pag. 153.

§. XIX.

Statua marmorea equeſtris M. Nonii Balbi, eiuſque titulus deſcribitur, & expenditur. pag. 156.

§. XX.

Praeclara Herculanenſium aedificia, Porticus, Xyſtus, Gymnaſium, Curia, Ponderarium, Baſilica, Chalcidi-

cidicum, Schola, & Picturae elegantiſſimae indicantur, & illuſtrantur. pag. 169.

§. XXI.

Praeſtantes Artes, Pictura, Sculptura, Architectura, Fuſoria, Plaſtice, earumque Artifices, quanta nominis gloria apud Herculanenſes floruerint, oſtenditur. pag. 177.

§. XXII.

Adfertur, & expenditur marmor Gruterianum in honorem L. Munatii Conceſſiani, in quo memoratur REGIO PRIMARIA HERCVLANENSIVM. Quae nam fuerint Fratriae Neapolitanorum celebriores. pag. 184.

§. XXIII.

HERCVLANEI antiquus & recens ſtatus deſcribitur. Villa Regis cur a Porticibus dicta: Regium Muſeum laudatur. pag. 187.

PRO CORONIDE

IVNONALIS SACRA MENSA HERCVLANENSIVM

Diſſertatione illuſtrata a Clariſſimo Viro IOANNE BAPTISTA PASSERIO I. C. Piſaurenſi. p. 195.

FIGVRAE AHENEIS TABVLIS INCISAE

Equeſtris Statua marmorea cum elogio in honorem M. NONII BALBI. pag. 168.

MENSAE SACRAE HERCVLANENSIVM, *atque eius Inſcriptionis Etruſcae Schema. Item Nummus aereus* HERCVLANENSIVM. pag. 207.

GEMMA *antiqua Etruſcis litteris inſcalpta, Equum ſolutis habenis ociſsime currentem exhibens, quae exſtat in Muſeo Paſſerio.* pag. 217.

AD-

ADMIRANDA ANTIQVITATVM HERCVLANENSIVM DESCRIPTA ET ILLVSTRATA

§. I. *Occaſio ſcribendi de Admirandis Antiquitatum Herculanenſium .*

NVnquam ſpartam hanc ſane iucundam mihi propoſuiſſem , ut brevi Commentario Hercvlanenses Antiqvitates deſcriberem & illuſtrarem , ni me ad eam publico ſtudioſorum bono ſuſcipiendam magnopere excitaſſet ingens plauſus Litterati Orbis , praeſertim Septentrionalis , nuper editus ab Eminentiſſimo Sanctae Romanae Eccleſiae Cardinali Bibliothecario , ANGELO MARIA QVIRINO ; cuius ſumma doctrina, adſiduumque bonas artes iuvandi & amplificandi ſtudium omnem laudem excedit : cui quidem & plauſum meum , & fauſtiſſimas adclamationes addere praeclarum & laudabile viſum eſt . Hic Vir Doctiſſimus tum vota

ſua, tum exterorum hominum eruditorum nuper patefecit, editis palantibus chartis, quas pro ſingulari ſua in me humanitate & benevolentia ſtatim ad me miſit, quas hoc in loco adferre factu optimum videtur.

§. II.

PLAVSVS ORBIS LITERATI SEPTENTRIONALIS

Ob vetera monumenta, quae ex recens detecta Herculani Vrbe in Regno Neapolitano eruuntur.

Ex Programmate Io. Mathiae Geſneri, Publici in Regia Academia Gotticenſi Profeſſ. pro ſolvendis eiusdem Academiae Votis Decennalibus, noviſque nuncupandis, publicato Gottingae menſ. Septemb. An. MDCCXLVII.

„ REſuſcitatur ab aliquo tempore, qui iam an-
„ te hos aliquot annos ſparſus per Germa-
„ niam quoque rumor fuerat, de veteri urbe
„ ex cineribus & pumicibus Veſuvii montis coepta
„ erui, quam Diurna Gallica, Britannica, noſtra
„ HERACLEAM appellant, HERCVLANVM, vel HERCV-
„ LANEVM dicerent accuratius. Hoc enim oppi-
„ dum maritimum paucis millibus paſſuum ab ipſo
„ illo cratere Veſuvii remotum, cum iam pars il-
„ lius Regulo & Virginio Coss. ruiſſet, dubieque
„ ſtarent, quae relicta erant; paucis annis poſt,
„ erumpente primum poſt hominum memoriam Ve-
„ ſuvii incendio, plane hauſtum, ideſt combuſtum,

eie-

„ eiectiſque ex illius horrendo ſpecu arenis, cineribus, pumicibus, obrutum eſt.

„ Huius igitur oppidi, dum novas aedificationes & villas molitur Carolvs, utriuſque Siciliae Rex, quem in *Porticu* ſua exornanda ſtudioſe verſari alias memoratur, non tenues modo reliquias, non ſtatuas, columnas, urnas, inveniri aiunt; ſed plane Vrbem integram, in eaque domus inſtructas & homines, ſuis cum veſtibus, integros, ut deprehenſi a calamitate fuerant. Non lubet iam quaerere, fierine poſſint, quae narrata de inventa denuo Vrbe legimus? & qua ratione potuerint in octavum uſque decimum ſaeculum tot res integritatem ſuam retinere? Melius de his quaeretur, cum quid inventum ſit, fide idoneorum teſtium conſtabit. Nobis lubet cogitationi non iniucundae paullum immorari. Si liceat ponere vera eſſe, quae nondum ſatis certis auctoribus narrantur: quam nova rerum, quam inopina facies hinc ſurgat literarum? quanta pulveris huius Veſuviani disiectu certamina Antiquariorum conquieſcant? quanta item ſurgant nova? Ponite unum aliquem librum inveniri: quot inde res diſcerent curioſi harum rerum? cum nec una charta manus eruditae calamo ſcripta, nec una cera ſtilo docto ſignata, eius aetatis, ad nos pervenerit. Sed ſi tanta fortuna homines Antiquitatis ſtudioſos reſpiciat, uti ex illo ſepulcro prodeat aliquis integer Diodorus Siculus, cuius Bibliotheca eo tempore, in illa vicinia, Bibliothecas ornabat haud dubie; Polybius aliquis totus, aut Salluſtius, aut (nimis forte invidendum munus!) Livius, aut Tacitus; aut Ovidianorum Faſtorum pars poſterior; aut, ut ad patriam noſtram praecipue reſpiciamus, illi Plinii

,, maioris Bellorum Germaniae viginti libri , quos
,, ille inchoavit, cum militaret in Germania ? Bi-
,, bliotheca vero tota hominis eruditi ſi inveniatur
,, (& fuerunt in ea vicinia villae , ut Ciceronis
,, & Luculli, ſic aliorum procul dubio, quarum or-
,, namenta Bibliothecae non poſtrema) quantum
,, inde materiae naſceretur hominibus eruditis? Non-
,, ne illa fuerit quaedam Romanae maieſtatis in-
,, ſtauratio? nonne felix quaedam reparatio tempo-
,, rum? Igitur mirum non fuerit ſi quis de illo
,, genere hominum *μουσοπάτακτος* ipſum Regem
,, CAROLVM ſic alloquatur : ,, Macte vero iſta feli-
citate, CAROLE, Regum fortunatiſſime : tene quaeſo , urge , preme occaſionem divinitus obiectam tibi , Habes oſtenſum tibi ad immortalitatem iter expeditum , facile , tutum . Quin tu iſtos exercitus (quibus longum otium bona pars Europae precatur) ocius ire iubes ad eruendum ſua e ſepultura Herculaneum, unde plus tibi & illi manſurae per omnia , quae futura ſunt , ſaecula gloriae parabitur , quam ſi vaſtitatem per illum inferas Italiae . Malis , quaeſo , reparator antiqui ſaeculi , & antiquarum artium omnium inſtaurator inſcribi ſtatuis , immo chartis aeternum manſuris commendari , quam incertam dubiamque Martis ſubire fortunam . Hoc igitur age , CAROLE , Rex inclute , & illud in primis cura, ut praeficiantur negotio cauti homines, & periti harum rerum, & amantes , & , ſi functo iam fatis *Aegyptio* , *Mazochius* , ſi illorum apud vos ſimiles , ſi chorus ille eruditae Italiae , cui ſuus velut praeſul fato datus eſſe praedicatur , negotio ſufficere propter alia non poſſint ; Socerum tuum roga , ut tibi *Bergeros* mittat ſuos , & *Maſcovios*, & *Chriſtios* , & *Saxios* , quorum opera ca-
vea-

veatur, ne, dum inveniuntur theſauri, pereant, ne parum accurate referantur vel in pictas tabulas, vel in literas: ne fiat, quod in Plinii villa, ut inventa etiam deliteſcat. „ Sed temperamus nobis ab imagine, quae forte a ſomnio non „ multum differt. Profuerit ſane Herculaneum ex „ Veſuvii reiectamentis erutum Antiquitati, Hiſtoriae, Architecturae, literis omnibus: fuerit parata gloria Regi magnanimo, qui iſta imperio & „ providentia ſua perfecerit: non profecto minus, „ quin plus longe ſolidae gloriae & perpetuae praedicationis merentur Reges, & amici Regum illi, qui rationibus aliis moliuntur *reparationem* „ *ſaeculorum*.

Ex Epiſtola D. Card. Quirini ad Iacobum Willelmum Feverlinum, Publicum Academiae eiusdem Profeſſorem, Brixiae impreſſa Menſ. Februar. Ann. MDCCXLVIII.

„ O Vtinam! pari ratione, qua cupitis ut ex Herculaneo, veluti ex ſepulchro, prodeant aliquis integer Diodorus, Polybius aliquis totus, „ aut Salluſtius, aut Livius, aut Tacitus aut Ovidianorum Faſtorum pars poſterior, aut Plinii „ maioris Bellorum Germaniae libri viginti; cura „ mea novam vitam Dio Caſſius recipere potuiſſet! „ Pro eo e Vaticana Bibliotheca effodiendo, non „ mediocriter me uno & amplius abhinc anno laboraſſe, fidem Vobis facient binae meae Epiſtolae ad Reimarum Clariſſimum Hamburgenſem Profeſſorem datae, locumque ſortitae in quarta mea „ Latinarum Decade. An melior fortuna arriſerit „ Carminio Falconi, Calabro hiſce temporibus Ar-

„ chiepiſcopo, res ipſa declarabit propediem; ad-
„ monuit me ſcilicet ille ante tres menſes, Dio-
„ nis ſui primum Tomum lucem publicam viſu-
„ rum, antequam annus modo iam elapſus expira-
„ ret. Opus illud avidiſſime expectari a Reimaro,
„ omnium certiſſime teſtari Vobis potis erit Cruſius
„ veſter, quod recens Haarburgi lares ſuos poſue-
„ rit; indeque per ipſum propius exſtimulari velim
„ eundem Reimarum, meo etiam nomine, ad Edi-
„ tionem eius Hiſtorici, quam & ipſe a multis annis
„ adornat, cito in publicum educendam.

Ex Epiſtola Hermanni Samuelis Reimari, Publ. Hamburgenſis Academiae Profeſſ. ad D. Card. Quirinum ſcripta, Hamburgi die v. *Febr.* MDCCXLVIII.

„ TAndem aliquando tempus inſtat, quo poſſim
„ manum admovere operi, cuius Tu adhuc
„ Fautor, idemque Promotor, Inſtigatorque fuiſti;
„ ſimulque, ſi id per Te licebit, meam Tibi pie-
„ tatem gratumque animum teſtari. Nam, ut ex
„ adiecto ſpecimine Editionis intelliges, hic Ham-
„ burgi iam paratur editio, typi recentes, & qui-
„ dem luculentiores ad textum Gr. Lat. funduntur,
„ & facto poſt Pentecoſtem initio, quatuor hebdo-
„ madatim plagulae profligabuntur; ſic ut proximo
„ anno ſperem me primum volumen ad Tuae Pur-
„ purae praetextam depoſiturum. Ceterum de Her-
„ culaneo cuperem certiora quam adhuc reſcivi-
„ mus; quanquam ex illius incendii reliquiis nihil
„ expecto ad Dionem. Tamen, ſi comparationi lo-
„ cus eſt, citius ex igne Veſuvii, quam ex fumo
„ Falconis reſtitui Dionem poſſe arbitror.

Hucuſque PLAVSVS LITERATI ORBIS SEPTENTRIONALIS, quem ab Eminentiſſimo

Pur-

Purpurato, & S. R. E. Bibliothecario QVIRINO miſsum, una cum eius humaniſſima Epiſtola, quae ad me ſcripta eſt Brixiae pridie Kal. Mart. huiuſce anni MDCCXLVIII. accepi VI. Idus Mart. & ſtatim ad haec breviter adnotanda mirifice incenſus ſum.

§. III. *Studium illuſtrandi Antiquitates Herculanenſes. Hae quoque deſcriptae in Annalibus Societatis Columbariae Florentinae ex Epiſtolis Amicorum, qui recenſentur.*

CErtant nunc eo magis flagrantiſſimis votis & Litterati Itali, ut ſciant quid ad haec tempora eo in loco, ubi antiquum HERCVLANEVM fuit, ſpatio complurium annorum, erutum feliciter ſit. Magna ſiquidem & mira toto orbe de HERCVLANENSIBVS ANTIQVITATIBVS nunc dicuntur & praedicantur; ſed adhuc teſtimonia locupletiora, quae ipſi cupiunt, deſiderantur. Scimus in dies augeri inſignibus monumentis ibidem inventis Muſeum Incluti CAROLI BORBONII utriuſque Siciliae Regis, qui ut ea in lucem prodeant, egregios Pictores, Caelatores, & Praeſulem omnigena eruditione, ut audio, excultum D. Baiardum ad ſe adſcivit, cui demandatum ab eo eſt munus ut ea omnia obſervationibus ſuis exornet. Quam vero illuſtria & admiranda ſint priſci aevi monumenta HERCVLANENSIA, paucis nuper familiari epiſtola aperuit Vir Clariſſimus P. D. Paulus Maria Paciaudius, Clericus Regularis Teatinus, mihi amicitia coniunctiſſimus; verum ea ſummis digitis adtigit, quod mox erit perſpicuum; nam eius Epiſtola a me in fine proferetur. Non deſunt quidem in docta Parthenope Viri longe doctiſſi-

mi, qui ſi voluiſſent, uberrimis Commentariis ea illuſtrare potuiſſent; inter quos eminet praeſtantiſſimus Canonicus Mazochius; ſed hi ad hoc tempus tacuerunt, pauci per Epiſtolas de his amicos ſuos monitos fecerunt; nihil vero in lucem editum illuſtratumque hactenus dederunt.

Id igitur brevi Commentario ut facerem aggreſſus ego ſum, hortantibus amicis, praeſertim vero illuſtribus Sociis Columbariis Florentinis, quibus ut in eorum Annalibus referrentur hae Deſcriptiones, quae tunc a doctis Amicis ad me per Epiſtolas mittebantur, non ſemel curavi.

Igitur dum nuper pluviis nivibuſque in Martio menſe frequentioribus domi latens taedio afficerer, forte contigit, ut Epiſtolae Amicorum ad me miſſae ad manus venirent, eaſque non ſine voluptate percurrerem: quibus perlectis, ſtatui ſelectas tantum proferre in hoc veluti Enchiridio. Ex his nonnulla cenſui deligenda, quae primo in loco proponerem, & paucis adnotarem. Quales vero & quanti ſint, & quam eximia eruditione praeſtantes, rerumque antiquarum ſcientia inſtructi Viri illi mecum familiari neceſſitudine, amicitia, genioque ſimili illuſtrandae Vetuſtatis conjuncti, qui ad me Epiſtolas ſuas dederunt, eorum prolatis nominibus & nunc, & deinceps liquebit.

Inter hos principem locum tenent Illuſtriſſimi Fratres Marcellus Marchio & Eques, & Abbas Rodulphinus Summi Pontificis Antiquarius, Venuti, Patricii Cortonenſes, quibus quantum bonae litterae debeant, luculentiſſime teſtatur incluta Etruſcorum Sociorum Academia & egregia opera ab ipſis edita. Illud maximae auctoritatis & ponderis eſt, quod idem Marchio Venutus vetera haec monumenta deſcripſit, ipſe vidit & perquam diligenter ob-

obſervavit, dum Neapoli in Regia Aula moraretur: quin & ſe omnia collegiſſe adfirmat amplo volumine, quod, Deo dante, in lucem mittet, quod erit Reipublicae Litterariae praeclarum beneficium, & ornamentum.

§. IV. *Herculanei ſitus, & finitima loca adnotata: qui nam primi eius vetuſtiſſimi incolae.*

ANtequam vero id accurate praeſtem, operae pretium me facturum arbitror, ſi heic paullisper benevolum Lectorem morer, & hoc ipſo in limine nonnulla colligam, quae de antiquo HERCVLANEO in libris veterum & recentiorum Geographorum adnotantur. Igitur ut ab eius nomine exordium ſumam (nam HERCVLANEVM & non raro etiam HERCVLANIVM ſcriptum occurrit) praeclara haec urbs ſita dicitur in ora maris ultra Neapolim, e regione Veſuvii. Florus Lib. I. Cap. XVI. *Vrbes ad Mare: Formiae, Cumae, Puteoli, Neapolis*, HERCVLANEVM, *Pompeii*. Pomponius Mela II. Cap. IV. *Sinus Puteolanus, Surrentum*, HERCVLANEVM, *Veſuvii montis adſpectus, Pompeii, Neapolis*. Perſpicue Seneca huiuſce oppidi ſitum deſcribit, fatumque, ut mox dicam, memorat Lib. VI. Quaeſt. Natur. *Pompeios* (inquit) *celebrem Campaniae urbem, in quam ab altera parte Surrentinum, Stabianumque litus; ab altera* HERCVLANENSE, *conveniunt, mareque ex aperto reductum amoeno ſinu cingunt, &c.* Pompeios Sarnus, hodie etiam *Sarno* dictus, praeterlabitur. Plinius vero Lib. III. Cap. IV. *adluere* dicit, ut obſervat Cellarius Geograph. ant. Lib. II. Cap. IX. HERCVLANEVM.

(alii

(alii Codices HERCVLANIVM , quemadmodum & apud Velleium Lib. II. Cap. XVI. uti paullo ante dicebam , habent) *Pompeii , haud procul adſpectante monte Veſuvio , adluente vero Sarno amne* . Strabo conſonat Lib. V. p. 247. quo docemur tum Herculaneum , tum vicina oppida , Pompeios , Nolam , Nuceriam , Acerras , olim remotioribus temporibus tenuiſſe Oſcos , deinde Etruſcos , ac Pelaſgos , poſt hos Samnitas , qui & ipſi inde expulſi ſunt. Satis eſt (ut brevitati conſulam) Graecum textum , quem Cluverius Ital. ant. Lib. IV. Cap. III. adducit , Latine tantum redditum adferre : *Neapolin* HERCVLANEVM *ſequitur ; cuius extremitas in mare porrigitur , & Africo perflatur mirifice , ita ut ſalutaris inde reddatur ibi habitatio* . *Hoc* (nempe Herculaneum) *& quod proxime ſequitur , & Sarno amne adluitur , Pompeios , tenuerunt olim Oſci , deinde Etruſci ac Pelaſgi ; poſt hos Samnitae , qui & ipſi inde ſunt expulſi . Eſt autem Nolae , Nuceriae , & Acerrarum (cuius nominis aliud quoque oppidum Vmbriae ſupra retulimus) commune navale ad Sarnum fluvium , qui & excipit , & emittit merces . Supra haec loca ſitus eſt* VESVVIVS *mons , agris cinctus optimis , dempto vertice , qui magna ſui parte planus , totus ſterilis eſt , adſpectu cinereus , cavernaſque oſtendens fiſtularum plenas , & lapidum colore fuliginoſo , utpote ab igne exeſorum , ut coniecturam facere poſſis iſta loca quondam arſiſſe , & crateras ignis habuiſſe ; deinde materia deficiente reſtincta fuiſſe* . Herculaneum Strabo ΗΡΑΚΛΕΙΟΝ adpellat. Huiuſmodi oppidum edito in loco ſitum fuiſſe , teſtatur apud Nonium Marcellum *de indiſcr. gener. per litter.* in voce *Fluvias* , Siſenna , antiquus.

Ro-

Romanarum rerum auctor, Hiſtoriar. Lib. III. *Quod oppidum tumulo excelſo in loco, propter mare, parvis moenibus inter duas fluvias infra Veſuvium conlocatas*. Et mox: *Tranſgreſſus fluviam, quae ſecundum* HERCVLANEVM *ad mare pertinebat*.

§. V. *Herculanenſium numus aereus plane ſingularis, litteris Etruſcis inſcriptus, adfertur, & illuſtratur.*

INſignis, & rariſſimus numus aereus *Herculanenſium*, antea numquam cognitus, nuper adlatus eſt in Vindiciis mei Alphabeti veterum Etruſcorum pag. 166. ex Muſeo Viri Illuſtr. Diamantis Montemellini, Patricii Peruſini, quem iterum hoc loci perlubet ob oculos Eruditorum ponere. In antica parte praefert (ni fallor) Mercurii caput, quod colligo ex adpoſito caduceo, eiuſdem Numinis inſigni; in poſtica vero equus ociſſime currens cernitur, cui inſidet Eques cum palma. In utraque facie duo globuli eminent, qui numum ſextantem indicant.



In exergo litterae ΛV↑◁H, hoc eſt HERKVL, *Herculaneum* indicant: quarum lectio incipit a dextera, & ad ſiniſtram tendit, more omnium vetuſtiſſimo, non Etruſcorum tantum, ſed & antiquiſ-

quiſſimorum Graecorum, qui remotis longe temporibus communis Italicis etiam Urbibus fuit, uti in iisdem meis Vindiciis Alphabeti veterrimi Etruſcorum perſpicue oſtenſum eſt.

Nil, ut videtur, prohibet quin credamus hunc numum ab Herculanenſibus percuſſum eſſe, quum eſſent ſub ditione & poteſtate Etruſcorum. Nam litterae cum Etruſcis conveniunt, atque ex altera ex his, quae ita ſculpta eſt, ↑ eruendum id eſt, quod ante editas ſupra memoratas Vindicias Alphabeti Etruſcorum, fuit doctis Viris ignotum, eamdem poteſtatem habere K Graecorum, & K ſive C Latinorum.

§. VI. *De Mercurio expreſſo in antica eiuſdem numi. Hercules oppidi Herculanei conditor. Numi antiquiſſimi in Hiſpania cuſi cum noſtro in utroque typo non parum conveniunt.*

QVia vero in adlato Herculanenſium numo vides imaginem Mercurii, ne ſuſpiceris ad Herculanenſes ipſos eum non pertinere; quorum praecipuum Numen, & ut colligimus, urbis conditorem, Herculem fuiſſe, nomen ipſum eidem oppido inditum perſpicue docet, vetuſti Scriptores teſtantur, & priſca in eius ruinis inventa monumenta uberrime confirmant. Nam ex eo diſcimus Herculanenſes Mercurium quoque coluiſſe; quod liquet ex aliarum urbium numis, in quibus & princeps eorum Deus, & alii veluti eorumdem ſocii, comites Σύνναοι, & Πaρέδροι frequenter exprimuntur.

Id etiam factum puto ab Herculanenſibus, quos non tantum Herculem, ſed & Mercurium coluiſſe te-

teſtatur hic ſingularis numus a me editus ; teſtantur Picturae in ruinis Herculanenſibus inventae, quae inferius deſcribuntur, in quibus Mercurius expreſſus conſpicitur. Mercurium Herculis ſocium fecit Antiquitas, quod ambo commerciis, negociis, ponderibus, nummis, & commutationibus praeeſſent; quod etiam in monetis Etruſcorum obſervavimus. Nil mirum igitur ſi Herculanenſes, qui ad mare portum habebant percelebrem, e quo in Siciliam opibus, & mercaturis florentem erat tranſitus, non Herculem tantum, ſed & Mercurium quoque in ſuis monetis exhiberent, tanquam ſuum Praeſtitem Deum. Huic numo ſimiles admodnm ſunt numi in Hiſpania percuſſi, in Stanoſiano opere adlati, & cum his litterae non parum conveniunt, quarum Alphabetum nuper vulgavimus, & numorum aliquot ineditorum ſpecimen dedimus. Poſticae partis typus quoque iisdem valde reſpondet. Quod vero hunc numum tribuam Herculanenſibus, maxime facit auctoritas Cl. Comitis Montemellinii, qui in Neapolitano Regno inventum per Epiſtolam ſuam ſcripſit; & eximius Comes Matthaeus Aegyptius, qui alterum numum apud ſe exſtare omnino ſimilem, in Campania inventum, litteris ſuis, poſtquam editum vidit, adfirmavit. Ceterum in Stanoſiana collectione ſimilis numus cum hiſce iisdem litteris non invenitur. Epigraphe vero in noſtro perſpicue HERCVLANEVM, ut oſtendimus, deſignat. Haec a me adnotata confirmat apud Dionyſium Halicarnaſſenſem inſignis locus, Lib. I. quem non vacat repetere, utpote a Cluverio adlatum Ital. ant. Lib. IV. Cap. III. pag. mihi 1155. quo diſcimus (quamvis Antiquitatem Fabulis commixtam exhibeat) Herculem compoſitis rebus Italicis,

& re-

& recepto incolumi ex Hiſpania exercitu navali, ac decimis ſpoliorum in Deorum ſacrificia impenſis; oppidulo item de ſuo nomine condito, ubi claſſis eius ſtationem habebat; quod tunc etiam a Romanis habitabatur, inter Pompeios, & Neapolin, traieciſſe in Siciliam. Tabula Itineraria iter ita refert:

Neapoli	
Herculaneum	xI.
Oplontis	vI.
Pompeis	iiI.
Nuceria	xiI.

Hanc in rem Servius in Aeneid. Libr. viI. verſ. 662. *Pompeios* a *pompa* Herculis Triumphalis deducit. *Hercules* (inquit) *in quadam Campaniae civitate pompam triumphi ſui exhibuit: unde* Pompeii *dicitur civitas.*

§. VII. *Herculem non ſolum ab Herculanenſibus cultum, ſed in Campania tota, vetera monumenta, lapides, & Scriptores oſtendunt. Theſaurus inſcriptorum Marmorum Neapolitani Regni a quibus collectus.*

HErculem in Campania divinis honoribus religioſiſſime cultum diſcimus ex antiquo marmore, quod adfert vir praeclariſſimus, amicus meus optimus, Alexius Symmachus Mazochius, in ſuo Commentario in mutilum Campani Amphitheatri titulum Cap. viiI. pag. 148. & doctiſſimis obſervationibus illuſtrat. Continet enim illud eximium marmor vetuſtiſſimum, C. Coelio Caldo, & Domitio Ahenobarbo Conſulibus anno ſcilicet V. C. DCLIX. ante Chriſti Nativitatem XCIII. ſcriptum, Pagiſcitum Pagi Herculanei Agri Cam-

Campani, quo Collegium, ſive Magiſtri Iovis *Compagi* pecuniam, quam apud ſe habebant, conſumerent in reficiendam Porticum paganam Theatri Herculanei, arbitratu Cn. Laetorii Cn. F. Magiſtri eiuſdem Pagi, ut ei, & Collegio ſive Magiſtris, quorum nomina in eodem marmore recenſentur, locus in Theatro eſſet, tamquam ſi ludos feciſſent. Memoratur etiam prope Baiarum mare *Via Herculea*, ſive *Herculanea*, quam Hercules exſtruxit Victor, interemptis Gigantibus apud Phlegram, ut auctor eſt Diodorus Siculus Lib. iv. & confirmat Strabo Lib. v. pag. 245. quamvis mere fabuloſam cenſeat hanc Herculis victoriam. De hiſce monumentis complura habes in egregiis Commentaris de Via Appia V. C. Franciſci Mariae Pratilli Lib. iI. Cap. vii. pag. 189. & 90.

Herculem hiſce in urbibus cultum teſtantur etiam vetuſta in iisdem defoſſa marmora, quae diligenter collegit, ut in lucem proferret, Vir praecellentiſſimus, ob celerem mortem nuper ſublatus, mihi maxime deflendus, Matthaeus Aegyptius: quam quidem ſpartam maxime cupio ut impleat vel Celeberrimus Canonicus Alexius Symmachus Mazochius, ſive V. C. Iacobus Martorellius, Graecarum Litterarum in regio Lyceo Profeſſor meritiſſimus, in quo cum ſingulari humanitate certat eximia doctrina, cui longe ſum devinctiſſimus. Herculanenſium nomen, tamquam incolarum, recenſet in ſuo Gruteriano Indice Ioſephus Scaliger; ſed ſi adeas marmor ipſum, in priore editione perperam indicatum pag. cccxxxix. (nam adfertur pag. ccccxxxix. ut habet ſecunda editio) mendis aliquot ſcatere videbis, ita ut clariora, & certiora genuinae eius lectionis documenta percupiam, quae a doctis Amicis meis Neapolitanis expe-

pe.

pectо. Hoc ipſum marmor mox ſubiiciam, quum ſermo de Viris illuſtribus Herculanenſium inſtituetur.

§. VIII. *Herculanei varia fata, & ruinae indicantur.*

HIs delibatis, ad fata huius clariſſimae Vrbis declaranda gradum facio. Paterculus Lib. iI. Cap. xvi. Herculanium ſociali bello captum ſcribit, meminitque eo in loco Minatii Magii atavi ſui, qui: *Tantam Romanis hoc* (ſociali) *bello fidem praeſtitit, ut cum legione, quam ipſe in Hirpinis conſcripſerat, Herculaneum ſimul cum T. Didio caperet, Pompeios cum L. Sulla oppugnaret*. Sociale bellum incidit in annum ab V. C. DCLXIII. ante Chriſti ortum xc. Plinius quo anno & die Stabiae, oppidum antea celebre, poſt in villae formam reductae ſint, ita memorat Lib. iiI. Cap. v. *In Campano agro STABIAE fuere uſque ad Cn. Pompeium & Lucium Catonem Conſules, pridie calendas Maii, quo die L. Sulla bello ſociali id delevit, quod nunc in villam abiit*. Hodie, ut notat Cellarius, *Caſtell' a Mare di Stabia*, & ſimpliciter *Caſtell' a Mare* parvuum oppidum, Epiſcopale tamen, in illo loco viſitur. Porro Cn. Pompeius, & L. Cato in Faſtis Conſularibus, anno ſequenti Conſules memorantur. Seneca aetate ſua Herculanenſis oppidi partem terraemotibus corruiſſe narrat Lib. vi. Natur. Quaeſt. Cap. xxvi. eiuſque fatum iam dudum antea contigiſſe ita in Cap. I. eiusdem Libri deſcribit: *Pompeios, celebrem Campaniae urbem, in quam ab altera parte Surrentinum Stabianumque litus, ab altera HERCVLANENSE, conveniunt, mareque ex aperto reductum*

ctum amoeno ſitu cingunt, DESEDISSE TERRAE MOTV, vexatis quaecumque adiacent regionibus, Lucili virorum optime, audivimus: & quidem diebus hibernis: quos vacare a tali periculo, maiores noſtri ſolebant promittere. Nonis Februariis fuit motus hic, Regulo, & Virginio Conſulibus; qui Campaniam numquam ſecuram, huius mali indemnem tamen, & toties defunctam metu, magna ſtrage vaſtavit; nam & HERCVLANENSIS oppidi pars ruit: dubieque ſtant, etiam quae relicta ſunt. Memorat frequentiſſime Cicero ſuum Pompeianum in Epiſtolis, & maxime ad Atticum; fuit enim apud Pompeios eius Villa, cuius ſitum hodie ignorari notat Cluverius: quemadmodum incertum a qua parte oppidi Herculanei fuerint eius Salinae, quae a Columella Lib. x. v. 133. ita laudantur:

Fontibus & Stabiae celebres, & Veſvia rura,
Doctaque Parthenope, Sebethide roſcida lymphâ:
Quae dulcis Pompeia palus, vicina Salinis
Herculeis ———

De Villis Romanorum in viciniis Herculanei mox nonnulla adnotabo.

§. IX. *Quando Herculaneum & terraemotu vexatum, & Veſuvii eruptione terra penitus obrutum. Quae, & quanta Antiquitatis inſignia Monumenta hodie in Italia eruantur.*

IGitur ex adlato Senecae teſtimonio colligimus anno V. C. DCCCXVI. Chr. vero LXIII. Regulo & Virginio Coss. anno imperii Neronis x. Herculanenſis oppidi partem ruiſſe; & dubie ſtetiſſe ea, quae relicta ſunt. Nunc Xiphilini ex Epitome Dio-

nis in Tito Lib. LXVI. teſtimonium adferendum eſt, quo conſtat eruptione Veſuvii omnium maxima, quae ſub Imperatore Tito contigit, Herculaneum, & Pompeios integras urbes, populo ſedente in Theatro, penitus obrutas fuiſſe. Primum, deſcripto Veſuvii incendio, & teterrima omnino ejus eructatione, mox haec ſubdit pag. mihi 756. Καὶ προσέτι ϗ πόλεις δύο ὅλας, τὸ, τε ΗΡΚΟΥΛΑΝΕΟΝ, ϗ τȣ̀ς Πομπίȣς (al. Πομπηίȣς) ἐν Θεάτρῳ τȣ̃ ὁμίλȣ αὐτῆς καθημένου κατέχωσε. τοσαύτη γὰρ ἡ πᾶσα κόνις ἐγένετο, ὥστ' ἀπ' αὐτῆς ἦλθε μὲν ϗ ἐς Α᾽φρικήν, ϗ Συρίαν, ϗ ἐς Αἴγυπτον, ἐσῆλθε δὲ ϗ ἐς τὴν Ρ῾ώμην &c. *Duaſque Urbes*, HERCVLANEVM, *&* POMPEIOS, *populo ſedente in Theatro, penitus obruit. Poſtremo tantus fuit cinis, ut inde pervenerit in Africam, Syriam, & Aegyptum introieritque Romam &c.* Haec, etſi aliqui exaggerata nimium credant; tamen maximam hanc Vrbium cladem, & everſionem fuiſſe, perſpicue teſtantur. Memorat Suetonius in Tiberio c. 40. apud Fidenas Amphitheatri ruina ſupra XX. hominum millia periiſſe una die, dum munus gladiatorium ederetur. De Veſuvii memorabili incendio plura habes apud Eminentiſſimum Romanae Eccleſiaſticae Hiſtoriae Parentem Caeſarem Baronium ad LXXVIII. Chriſti annum. Alia incendia, quae Neapolitanum Regnum horrore, vaſtitate, & interitu hominum, & pecorum implerunt, & adflixerunt, recenſentur in diebus Canicularibus Colloquio I. a Maiolo, & ab aliis, quos, ſi otium eſt, vide.

Haec fuit ultima Herculanenſis Vrbis clades, & ruina maxima ex Veſuvii eruptione. Nunc quo tempore, & quo anno ea contigerit, breviter exponendum. Ex Dionis teſtimonio conſtat ſub, vel

circa

circa Autumnum, hoc Veſuvii incendium accidiſſe: Πῦρ γὰρ μέγα κατ' αὐτὸ τὸ φθινόπωρον ἐξαπιναίως ἐξήφθη: *Nam* (inquit) *ſub Autumni tempus ingens incendium repente excitatum eſt* : ut notat Ioannes Maſſonus in Vita C. Plinii Secundi ordine Chronologico digeſta ad annum V. C. DCCCXXXII. Chr. LXXIX. quo quidem Veſuvius incendia ſua evomuit. Iuxta Iulii Caeſaris rationes, Aequinoctium Autumnale XXIV. Septembris inibat. Itaque, ſi Veſuvius κατὰ τό φθινόπωρον, hoc eſt, ut optime Leunclavius, & Tillemontius obſervant, *autumno iam ad exitum vegente*, ardere coepit, HERCVLANEI clades ad Novembrem menſem ſpectaverit. Profecto, ſi una eademque Veſuvii montis eruptio a Dione, & a Plinio deſcripta fuit, avunculum ſuum *Kalendis Novembribus* Veſuvii erumpentis aeſtu cineribuſque praefocatum obiiſſe dicit; quamvis in aliis Codicibus IX. *Kal. Septembr.* legatur; idque, ut opinor Patavium impulerit, ut Plinii Senioris mortem non ad annum Chr. 79. quo Veſuvius ex Dione ardere coepit, ſed ad ſequentem revocaverit. Omnibus tamen probe expenſis, longe veriſimilius exiſtimo uno eodemque tempore, ſive Veſuvii eructantis impetu Plinio mortem, Vrbibus hiſce excidium impendiſſe. Etenim Plinius adſerit, avunculum ſuum *pulcherrimarum clade terrarum, ut Populi, ut Urbes, memorabili caſu occidiſſe ;* Pompeios nimirum, atque Herculaneum indicans, quarum clades omnium animos nuper perculerat. Itaque perſpicuum inde fit huiuſmodi Veſuvii incendio, Novembri menſe, Herculaneum, & Pompeios praeclaras urbes terra penitus obrutas eſſe, idque contigiſſe, Herculanenſibus in ſuo Theatro ſedentibus, & ludos ſpectantibus, anno primo imperii Titi Caeſaris, nempe anno V. C. DCCCXXXII.

 Chri-

Chriſti LXXVIII. iam paullo ante mortuo eius parente Veſpaſiano, qui die XXIV. Iunii exſtinctus eſt, ut docet Suetonius in Veſpaſiano; & nos pluribus oſtendimus in Obſervationibus ad Numiſmata Theſauri Morelliani.

Anno imperii ſui altero, nempe a Chriſti ortu octuageſimo. Titus Auguſtus, quum eſſet Conſul VIII. cum Domitiano Caeſare VII. ad haec Campaniae excidia viſenda profectus eſt; quo tempore ingens incendium Romae contigit, quod a Dione ita deſcribitur: *Anno ſequenti, Tito ad viſendam calamitatem Campaniae profecto, multa Romae conflagrarunt: quod incendium tamen non exſtiterat e terra. Nam Serapium, Septa, Iſium, Templum Neptuni, Balnea Agrippae, Pantheon, Diribitorium, Theatrum Galbae, Scaena Pompeii, Octaviana aedificia una cum libris, templum Iovis Capitolini, cum proximis templis, igni conſumpta ſunt. Ita id malum divinum potius quam humanum fuit. Licet enim ex his, quae commemoravi, cetera quae eo incendio perierunt, coniicere.*

Huic urbium fato ea quodam modo tribui poſſunt, quae de Populonio Etruſcorum canit in ſuo Itinerario Cl. Rutilius Numatianus:

Non indignemur mortalia corpora ſolvi,
Cernimus exemplis oppida poſſe mori.

Gratulandum noſtrae aetati, quod multa ex erutis Herculanenſibus Antiquitatibus ſciamus, quae ad hoc tempus, quum delituerint, ignota fuere: quibus illud Horatianum in Poëtica aptari poteſt:

Multa renaſcentur, quae iam cecidere, cadentque
Quae nunc ſunt in honore. ———

Gratulandum providae curae CAROLI BORBONII utriuſque Siciliae Regis, qui eas eruendas & in apricum proferendas iuſſit, cui HERCVLANEVM RESVRGENS adſcribendum eſt: gratulandum ſi quampri-

primum eius iuſſu in publicam lucem editae,& luculenter illuſtratae producantur; ac denique gratulandum Ampliſſimo Cardinali QVIRINO, qui primus nobis viam aperuit ac monſtravit; & gratiae immortales ei referendae, & eruditis illis Viris, qui de iisdem antiquis Monumentis Herculanenſibus, ad Amicos, & ad me miſſis Epiſtolis, non pauca omnium primi adnotarunt, quae nunc lubet ordine ſuo proferre, ut brevibus obſervationibus expendantur.

Sed antequam id praeſtem, periucundum mihi eſt plaudere etiam Summo Sanctae Romanae Eccleſiae Hierarchae BENEDICTO XIIII. quo regnante, & Antiquitatis ſtudiis mirifice favente, Roma quoque nunc in dies magis magiſque tot ſaeculis reconditos in terrae viſceribus theſauros ſuos profert in apricum, ut ſtudioſi priſcarum rerum maiore peritia, & cognitione locupletentur, atque ea monumenta contemplentur, quae, aeterna illa Vrbe totum orbem imperio regente, omnium oculos ac mentes ſtupore implebant. Nam dum haec ſcribo, Epiſtolam ad me mittit XVIII. Kal. Aprilis hoc ipſo anno MDCCXLVIII. ſcriptam, doctrina & probitate Praeclariſſimus Praeſul Marius Guarnaccius, qua initio laudatis breviterque narratis inſignioribus Antiquitatum Herculanenſium opibus nuper effoſſis, mox opportune nunciat prid. Idus Martias, Romae dum altius terra egereretur, ut fundamenta cuiusdam aedificii ad Campum Martium iacerentur, detectam eſſe magnam memorandi illius Obeliſci partem, quem Auguſtus in Campo Martio erexit, quemque ita deſcribit Plinius Lib. XXXVI. Cap. XV. *Ei* (Obeliſco) *qui eſt in Campo; Divus Auguſtus addidit mirabilem uſum, ad deprehendendas Solis umbras, dierumque ac noctium ita magnitudines, ſtrato lapide ad magnitudinem*

Obeliſci, cui par fieret umbra, brumae confectae die, ſexta hora, paullatimque per regulas (quae ſunt ex aere incluſae) ſingulis diebus decreſceret, ac rurſus augeſceret: digna res, & ingenio fecundo Mathematici. Apici auratam pilam addidit, cuius umbra vertice colligeretur in ſe ipſa, alias enormiter iaculante apice; ratione (ut ferunt) a capite hominis intellecta. Haec obſervatio triginta iam fere annis non congruit, ſive Solis ipſius diſſono curſu, & caeli aliqua ratione mutato: ſive univerſa tellure aliquid a centro ſuo dimota, ut deprehendi & in aliis locis accipio: ſive Vrbis tremoribus, ibi tantum gnomone intorto: ſive inundationibus Tiberis ſedimento molis facto: quanquam ad altitudinem impoſiti oneris in terram quoque dicantur acta fundamenta. Horologii huius iconem delineavit Iacobus Maſius, e Societate Ieſu, Syracuſanus, quem laudat Cl. Harduinus in hunc Plinii locum. De eodem Horario Obeliſco complura adnotat eximius Praeſul Michaël Mercatus Samminiatenſis Cap. XXIV. ubi de Obeliſcis ab Auguſto Romam tranſvectis, quem vide. Paullo ante ibidem effoſſa memoratur eiusdem Obeliſci baſis, quae temporum iniuriis & diuturnitate, multis in locis labefactata, magna ex parte exeſam hanc inſcriptionem, quam Vetuſtatis periti legerunt, praefert:

CAESAR DIVI F. AVGVSTVS
PONTIFEX MAXIMVS
IMP. $\overline{XII}$. COS. $\overline{XI}$. TRIB. POT. $\overline{XIV}$.
AEGYPTO IN POTESTATEM
POPVLI ROMANI REDACTA
SOLI DONVM DEDIT

Fa-

Faxit Deus ut integer Obiliſcus e ſuis latebris feliciter nunc eruatur, & inſigni conſpicuoque in loco erigatur iuſſu Sapientiſſimi Pontificis Opt. Maximi, cuius conſilium eſſe ferunt, ut ignobilia illa aedificia ſuperſtructa brevi demoliantur, quae, eodem Obeliſco defoſſo, ut iterum exſtruantur, curabit: quo facto eam conſequetur gloriam, qua etiam nunc praedicantur eius incluti Praedeceſſores SIXTVS V. qui Obeliſcos plures Deo noſtro Magno conſecravit, INNOCENTIVS X. CLEMENS XI. & CLEMENS XII. qui Vrbem maximis ornamentis implerunt, & Capitolium antiquorum Monumentorum maieſtate, & gloria cumularunt: quod & ab eo factum gratulamur, quem ſcimus Capitolio celeberrimam quoque, praeter alias vetuſti aevi inſignes reliquias, Pinacothecam tabulis celeberrimorum Pictorum inſtructam, a fundamentis excitaſse, publico ſtudioſorum bono, & beatae Vrbis locupletiore honeſtamento. Nunquam hoc penſum meum exſolverem, ſi inſigniora vellem monumenta deſcribere, quae paucis ab hinc annis, eodem regnante, eruta ſunt, & in Capitolio ad aeternitatem nominis ſui, ſtudiique priſcarum rerum commendata. Avidiſsime etiam expectamus iconem inintegri pavimenti Muſivo opere picti, quod nuper inventum eſt in Vinea Presbyterorum Societatis Ieſu, praeter alia multa, quae aeternum ſtabunt in lucem prolata, & accurate illuſtrata a Doctiſsimo Praeſule Ioſeph Alexandro Furietto, quem aeterna commendatione digniſsimum tum propter edita opera, quibus adde Centaurorum Statuas mirandi operis, ornatas Sculptorum inſcripto in baſi nomine, tum propter hanc egregiam curam in Muſivis antiquis operibus uno comprehenſis Syntagmate edendis, cenſeo, eique plaudo quammaxime.

Genio celſiſsimorum Principum, magnorumque Virorum, qui ſtudio & ſcientia antiquarum rerum tam mirifice delectantur, ut gratularer, aequa res mihi viſa eſt, in fronte mearum lucubrationum proponere novum emblema cum hoc aptiſsimo titulo: SAECVLO FRVGIFERO: namque eorum praeſidio, & favore bonae artes, & Vetuſtatis ſtudia omnigenam eruditionem complectentia, ad ſummum dignitatis & ſplendoris faſtigium pervenient, ſi horrendi Martis artes, Pace ubique terrarum vigente, diuturno foedere firmata, conticeſcent, & ipſi Reges quamprimum (quod maxime in votis omnium eſt) opitulante Muſis feliciſſimo, magniſque operibus fecundo otio, conquieſcent. Egerit & Etruria noſtra latentes theſauros ſuos veterum deliciarum; iamque paucos intra annos quam magna ſupellex eruta ſit e Volaterranis, & Cortonenſibus agris, atque etiam ex Florentinis, Senenſibus, Cluſinis, & Arretinis, volumina, quae in lucem a me proferentur, ſatis ſuperque monſtrabunt.

Heic memorare lubet Hypogaeum Sepulcrum, hoc ipſo anno MDCCXLVIII. detectum, nempe III. Non. Februarias, in praediis DD. Franciſci & Dominici de Muzis, qui aedes habent ad Podium Bonitium, oppidum magni nominis Florentinorum, & ob propinquam Arcem, & celebres, qui ex eo prodierunt, Viros, in Hiſtoriis noſtris celebre. Muziorum praedia ſita ſunt in loco dicto *Val di Piano*, fere ad miliaria duo ſupra Podium Bonitium (vulgo *Poggibonſi*) qua ad Collenſem urbem iter eſt. Quum increbuiſſet fama Florentiam ſtatim perlata multarum Antiquitatum, & Statuarum, quas forte dum ruſticus foſſas ibi faceret, in lapidem magnum, Sepulcri oſtium claudentem, incidens repererat, ut de his inven-

tis

tis antiquis monumentis certior fieret, poſtremis me adcivit Bacchanaliorum diebus, & miſit Excellentiſsimus, & Ampliſsimus D. EMMANVEL COMES DE RICHECOVRT, qui Etruriae regimini iuſtitia, prudentia, vigilantia, & in omnes ſingulari humanitate praeeſt, Auguſtiſsimi Caeſaris, Domini noſtri FRANCISCI I. Romanorum Imperatoris Optimi, Pii, Felicis, Magni Ducis Etruriae, & MARIAE THERESIAE Imperatricis Auguſtae, Hungariae & Bohemiae Reginae, Conſiliarius Intimus, Sacrae Equeſtris Religionis D. Stephani Eques Prior, Treſcheti Marchio, omni laude cumulatiſſimus. Litteras ad Viros his locis Praefectos & Vicarios, ut mihi neceſſaria omnia, atque etiam ſi eo in loco rurſum effodiendum eſſe viderem (quod feci, ſed crebris pluviis impeditus, differre coactus ſum) ſuppeditarentur, dedit Vir Illuſtriſſimus, & Doctiſsimus D. Ioannes Brichierius Columbus, Patricius Finarienſis, Imperialis Camerae Fiſcalis Auditor vigilantiſsimus. Vt ad illud Sepulcrum ſubterraneum perveni, totum dimenſus ſum: eſt enim rotundum quoquo verſum duodecim Romanis pedibus latum, & octo altum, in topho excavatum, in medio columna quadrata ſubfultum, & in girum praealto ſedili ornatum, in quo collocatae erant cinereae Vrnae. Hae Vrnae in contiguam Muziorum domum tranſlatae iam fuerant numero XI. omnes Etruſci operis. Ex his quatuor anaglypho opere ſculptae. Elegantior ex his, novem figuris ornata eſt, quae repraeſentant nuptiales caerimonias, uti antiquitus ab Etruſcis fiebant, Sponſae Pronuba, & Sponſo Paranympho adſtantibus, & aliis ex propinquis. In duabus ex his, quarum altera e marmore conſtat, ſculptae pro emblemate, animarum ad Ely-

Elyſios tranſvectiones ; nam defuncti anima equo vecta ab alio deducitur. Aliae duae Vrnae coloribus in plana anteriori facie pictae erant coloribus duobus, rubro & nigro, lineari pictura, cum figuris, quod opus monochromaticum Graeci dixere. Viro picto palliato, ad oſtium Inferni adcedenti, quaſi pulſaturo, animal incognitum cum roſtro ad os, humanis cum pedibus, & palliatum eidem occurrit cum leone. Defuncti vero imago phialam tenet, quaſi fatum, & neceſsitatem placatur a. Erant aliae Vrnae tophaceae cum imaginibus defunctorum, ex more, ſedentibus in operculo, ſubiectis ad cubitum ſiniſtrum pulvinaribus, poma, vel pateras, aut vaſcula in manu dextra tenentibus. Nil dico de duobus aheneis vaſculis egregia forma, & artificio perfectis, & magnitudine praeſtantibus: nil de ollis, pateris, patinis, urceis, vaſculis eſcariis, & cinerariis, de amphoris magno numero fictilibus eodem in loco inventis, quae omnia adhuc ſervantur; ut in lucem meis curis prolata, doctorum hominum ſtudiis, & peregrinantium curioſitati facere ſatis poſſint: atque eo conſilio, ut meis laboribus, quibus Etruriae decus augetur, Genio Auguſto Invictiſſimi Caeſaris Domini noſtri rem faciam ſummopere gratam. Praeterea in eodem Sepulchro inventa ſunt ſacrificalia quaedam inſtrumenta, ſeceſpita, ſecuris, culter, rubigine valde exeſa, & duo ex aere arulae tripodes praealtae, quas incendendis odoribus in honorem Deorum inſerviſſe perſpicue declarant in vertice parvi lebetes, ſeu cyathi. Inſcriptae in manubrio gutturnii ex rubra argilla optimi coloris, & perelegantis artificii, quod ibidem erutum eſt, altitudinis unciarum quatuor, latitudinis vero unciarum fere duodecim.

Sex

Sex hae litterae Etruſcae lectae a me ſunt:

ɘИЯQIЯ: hoc eſt AIRANE

Subſpicor *Herenniam* familiam eas indicare, ad quam forſitan hoc ipſum Sepulcrum ſpectavit; quod ſi otium eſſet, aliis Etruſcarum Vrnarum titulis, & exemplis probare poſſem, variantibus aliquot litteris, quae ab imperitis Servis, & Caelatoribus notari non ſine vitiis plerumque ſolebant.

In ipſis Vrnis inter ſemiuſta oſſicula inventa ſunt, quae in deliciis eorum, qui defuncti ſunt, eſſe veteres crediderunt; nempe inaures aureae, armillae duae perparvae, forſitan Diis dono datae, anuli duo ex ebore; anuli cum gemmis e vitro antiquo, quorum unum Sardonychen referens, exhibet Genium ſacrificantem, dextra vaſculum invergentem in ſubiectam amphoram; ſiniſtra ſuſtinentem ferculum frugibus, & fructibus refertum; ſub quo poſita corolla lemniſcis pendentibus ornata. Praeterea inventae ſunt duae parvae lamellae ex auro, bracteas potius dicam; quas puto antiquitus fuiſſe ſimul coniunctas, & bullam efformaſſe; nam in utraque earum facie puellus ectypis formis impreſſus eſt: quem ſi quis credat Vagitani Dei imaginem referre, qui pueris praeerat, D. Auguſtino de Civ. Dei Lib. iv. Cap. 11. teſte, non repugnabo: equidem puellarem bullam eſſe, cum ex artificio, tum ex emblemate ipſo coniicio, & ſi qui ſunt, qui meliora doceant, me amplexurum promitto: harum vero rerum ſolis Antiquitatum peritis iudicium committo. Singula Monumenta in eodem Etruſcorum Sepulcro inventa delineata ſunt ante meos oculos ſolicite, & diligenter a meo Pictore, quem mecum duxi, Phi-

lidau-

lidaurio Roſſio Florentino. Huiuſce Itineris auctiorem Deſcriptionem confeci.

Offert etiam aperitque gazophylacium ſuum Italia, in qua frequenter non tantum rariſsima numiſmata, ſigna, vaſa antiqua; ſed etiam monumenta inſignia in apricum profert, quae eruditis Viris, uti doctiſſimo Noriſio Cenotaphia Piſana marmoreis tabulis inciſa, tantas eruditionis ſegetes tribuunt, ut libros locupletiſſimos, cedro dignos, publico bono, conficiant, & quibusdam floſculis, quos alii alacriter colligunt, iisdem relictis, ad maiora, ſumma cum dignitate, & utilitate coniuncta, omni conatu deproperent. Memoratu digna eſt ahenea Tabula, quatuor ab hinc menſibus in Agro Placentino effoſſa, longitudinis tredecim circiter palm. Rom. altitudinis vero fere duarum linearum; & latitudinis palmorum ſex ſupra dimidium. Hanc ruſtici homines, qui invenere, iam iam in fruſta fregiſſent, ut facilius venderent, ni adfuiſsent, qui ſtatim pretium ſolverent, quanti aes venditur. Ea tandem potitus eſt Canonicus Antonius Coſta Placentinus, qui eam cum ſocio ſuo ab interitu vindicavit; atque utinam hoc ſpatio temporis eam litterato orbi accurate deſcriptam donaſset, de hoc inſigniſſimo monumento tam praeclare meritus! Nobis per Epiſtolas Amicorum tres priores characterum lineae innotuere, quae etiam ex Novis Litterariis Florentinis huiuſce anni innotuere in folio num. 8. col. 120. & 122. Poſt tres illas lineas, quae ab uno ad alterum latus tendunt, ſequitur ſcriptura in ſeptem columnas diſtributa, minutioribus litteris exarata. Continet deſcriptionem praediorum, quae obligata adſignataque ſunt ad alimenta praeſtanda Pueris & Puellis Alimentariis ex indulgentia

tia Optimi Principis TRAIANI. Priores igitur tres lineæ litteris grandioribus inſculptae, ita ſe habent, quas nos in plures lineas, harum plagularum commodo ſervientes, exhibemus.

OBLIGATIO PRAEDIORVM. OB HS DECIENS
QVADRAGINTA. QVATTVOR. MILIA. VI.
EX. INDVLGENTIA. OPTIMI. MAXIMIQVE.
PRINCIPIS. IMP. CAES. NERVAE
TRAIANI. AVG. GERMANICI. DACICI.
PVERI PVELLAEQVE. ALIMENTA.
ACCIPIANT. LEGITIMI. N. CCXIV.
IN SINGVLOS. HS. XVI. N. F. HS XLVII.
XI. N - LEGITIMAE. N XXXIV. SING.
HS XII. N. F. HS IV DCCCXCVI. SPVRIVS. I.
HS CXIIV. SPVRIA I HS. CXX.
SVMMA. HS. LIICC. QVAE. FIT
VSVRA. SORTIS. SVPRA. SCRIBTAE.

His interim indicatis, dum ad Antiquitates Herculanenſes adcedo, nolo ſilentio praeterire pretioſum Antiquitatis ſacrae monumentum, nuper Neapoli inventum, nempe Kalendarium vetuſtum Sanctae Neapolitanae Eccleſiae, marmori inſculptum, quod illuſtratum per aliquot partes iam habemus a Cl. Mazochio, qui ipſum aeri inciſum dedit, adiecto eruditiſſimo Commentario ſuo, quod nuper in lucem prodiit, & a Cl. P. D. Ludovico Sabbatino de Amphora, qui & ipſe in eo elucidando, additis rebus notatu dignis, adhuc vacat.

Quod

Quod tam venerabile ſacrae Vetuſtatis Volumen, (quod tamquam rariſſimum in marmore Diptychon in meo Syntagmate locum habebit) a fabris murariis inter vilia caementa abiectum , non perierit , Eruditi debent ſummae vigilantiae , pietati, praeſtantique doctrinae , & eximio priſcarum rerum ſtudio Eminentiſsimi Principis D. Iosephi S. R. E. Cardinalis Spinelli, Archiepiſcopi Neapolitani, qui in ſuas Aedes translatum , aere perennius eſſe voluit, aheneaeque Tabulae incidi , & perpetuo Commentario illuſtrari ſapienter mandavit . Vides quantas opes docta Parthenope Litterario orbi intra paucos annos ſuppeditarit !

His igitur Viris doctis , qui egeſtiones curant, & inventa monumenta a ſe illuſtrata nobis tradunt legenda, atque huic SAECVLO FRVGIFERO magnopere gratulamur, & bona omnia his, qui aeternitati ſcribunt utilia precamur , nec invidemus . Haeret animo illud Plinii Secundi egregium monitum, ab eo in Ep. xvii. Lib. vi. prolatum QVI INVIDET MINOR EST . *Denique ſive plus, ſive minus, ſive idem praeſtas, lauda , vel inferiorem , vel ſuperiorem , vel parem . Superiorem, quia niſi laudandus ille non eſt , non potes ipſe laudari : inferiorem , aut parem , quia pertinet ad tuam gloriam quam maximum videri , quem praecedis , vel exaequas . Equidem omnes , qui aliquid in ſtudiis faciunt , venerari etiam , mirarique ſoleo . Eſt enim res difficilis , ardua , faſtidioſa , & quae eos, a quibus contemnitur , invicem contemnat . Niſi forte aliud iudicas tu , quanquam quis uno te reverentior huius operis , quis benignior aeſtimator ? Qua ratione ductus , tibi potiſſimum indignationem meam prodidi , quem habere ſocium maxime poteram .*

§. X.

§. X. *Quanto conatu ſtudioque antiqua Monumenta hodie in Italia & Etruria illuſtrentur, & in lucem proferantur, breviter declaratur.*

VAlde glorioſum, & perutile eſt Reipublicae Litterariae, quod tam frequenter eruditi Antiquitatis theſauri effodiantur; ſed quid laudis & gloriae Vrbes, & Academiae conſequerentur, ſi deeſſent Viri, qui eos accurate proferrent, & erudite illuſtrarent? Propoſitum igitur mihi eſt, brevi facta digreſſione, oſtendere quantum his eruditione & doctrina praeſtantiſſimis Viris abundet beata noſtra Italia; quo conſilio arbitror me Cultoribus Vetuſtatis rem non ingratam facturum, ſi eos tantum laudem, quos ſcimus nunc in illuſtrandis antiquis Monumentis viriliter inſudare, ut quae parant legenda, quantocius publico bono aeternitati commendent.

Scriptis ſuis doctiſſimis, exempliſque praeit omnibus Summus Sanctae Romanae Catholicae Eccleſiae Pontifex, Chriſti Vicarius, BENEDICTVS XIV. cui cordi eſt, ut antiqui praeſertim Ritus Sacroſanctae Romanae Eccleſiae, aliis inventis antiquiſſimis Codicibus magis magiſque illuſtrentur. De egregio Cl. Praeſulis Furietti opere iam dictum eſt: expoſitum etiam quantum laboret D. Praeſul Baiardus Parmenſis in elucidandis Antiquitatibus Herculanenſibus. Ex litterariis Italis Nunciis exploratum quoque, atque ex editis promiſſiſque operibus patefactum, quae quotve volumina parentur a doctiſſimis Neapolitanis, Canonico Mazochio, Ignatio Como, Aurelio de Ianuario, Ioanne Antonio Sergio, Celeberrimis I. C. a Martorellio, a Petro Antonio

nio Vitale, & nupero Scriptore Hiſtoriae Nolae, aliiſque, quos enumerare longum nimis eſſet.

Panormi. florente ſumma nominis claritate & gloria celeberrima Academia, & Collegio Nobilium, cui praeſunt Societatis Ieſu Praeceptores doctiſſimi, mirifice excoluntur Antiquitatis ſtudia, quorum fundamenta iecit vir omni laude maior, dum viveret mihi amicisſimus, P. Antonius Maria Lupius S. I. P. Lectisſimis monumentis antiquis, & rarisſimis Naturae operibus Muſeum ſibi inſtruxit P. D. Salvator Maria de Blaſi, Monachus Caſinenſis, Bibliothecarius Abbatiae S. Martini, Sacrae Theologiae Profeſſor, cuius amicitia auſpice, multa Vaſa antiqua picturis ornata delineata accepi: itemque in proferendis illuſtrandisque patriis Antiquitatibus & praeclari Viri Dominicus Schiavo, & eius frater Illuſtriſs. Vicarius Generalis Sanctae Metropolitanae Eccleſiae Panormitanae, egregie nunc verſantur: favente etiam meis laboribus D. Fernandez Praeſule Ampliſſimo.

Romae Virgilium Vaticanum, Hermas antiquorum Philoſophorum, Oratorum, & Poëtarum, quae opera omni plauſu digniſſima, exquiſitis Obſervationibus illuſtrata iam habemus: alterum Volumen egregiis adnotationibus locupletatum, complectens Protomas Caeſarum Auguſtorum Auguſtarumque in Capitolino Muſeo exſtantes, in lucem hiſce diebus protulit Praeclariſſimus Praeſul Ioannes Bottarius Florentinus; qui mox etiam in lucem mittet Volumen tertium Sculpturarum & Picturarum Romae Subterraneae, quas ſummo ſtudio, & labore, ſelecta eruditione, ac laude explanavit. Iam litterati homines ſciunt, quot, & quam doctas lucubrationes cum in ſacra, tum in profana Monumenta antiqua in lucem miſerit V. C.

Fran-

Franciſcus Eques Victorius: ipſe etiam nunc alias optimas eruditionis antiquae fruges egregie parat.

Perampla & inſignis collectio monumentorum iam parata eſt ab eruditiſſimo Rodulphino Venuto, Summi Pontificis Antiquario: aliam etiam ſperamus Antiquitatum omnium, quae in Muſeo Collegii Romani adſervantur, a V. Cl. P. Contuccio P. S. I. eidem Praefecto. Nullis litterariis laboribus fractus Celeb. Ioſeph Blanchinius Presbyter Oratorii Romani, Portas Romae a ſe illuſtratas, Hiſtoriam Eccleſiaſticam veterrimarum Sculpturarum, & Picturarum documentis comprobatam; Evangeliſtarium Apoſtolicis temporibus fere proximum doctis notis ubique expoſitum, in lucem dabit; praeter alia eximia opera vel edita, vel inedita, quae eius doctiſſimus Patruus Praeſul Franciſcus Blanchinius collegit, & illuſtravit. Celeb. Praeſul Ioſeph Aſſemanus in promtu habet fere editas Obſervationes ſuas in veteres Tabulas pictas Eccleſiae Ruthenae, quae S. Crucem efformant, depromptas e Muſeo Capponio. Eius nepos Stephanus Evodius Aſſemanus, Archiepiſcopus Apamenus, ingenio & eruditione nulli ſecundus, Orientalia Martyrologia quamprimum Commentariis ſuis aucta brevi producet. Sed quae & quanta, Deus bone, a Praeſtantiſſimo Praeſule Dominico Georgio ſperari poterant, ſi mors eum nuper celeri fato nobis non eripuiſſet! Tanti viri iacturam nunc inſtaurant illuſtres viri Cennius, Marangonius, Morettius, Vezzoſius, Roggerius, Mamachius, Monachus Ordinis Praedicatorum, cuius quoque maximum decus & ornamentum eſt Reverendiſs. P. Urſius, tot editis immortalibus ſcriptis ſuis de Romana Apoſtolica Sede, deque litteraria republica optime meritus. Egregia doctrinae ſuae monumen-

ta parat etiam eximius Praeſul Nicolaus Antonellius. Summa cum laude memorandi quoque ſunt e Societate Ieſu Presbyteri eruditiſſimi, Emmanuel de Azevedo Luſitanus, eiuſque Socii in aerumnoſo opere edendo, nempe Theſauro Liturgico, duodecim, & forte pluribus, Voluminibus comprehenſo, Petrus Lazerius, & Franciſcus Antonius Zacharias: quorum laboribus, & curis gratulor ſummopere, & fauſta omnia animo lubens adprecor. En quantas opes, quantaque munera nobis donent, & feliciter exponant Litterati, qui in Romano omnis eruditionis domicilio, tanquam Athletae fortiſsimi, contra ſegnitiem viriliter certant, & palmas ferunt.

Mediolani mirum quantum antiquae eruditionis, & quam pretioſam ſupelletilem adſidue depromant in Palladis ſtadio deſudantes Cl. Viri Ioſeph Ant. Saxius, Ambroſianae Bibliothecae Praefectus, qui nuper Hiſtoriam Typographicam Mediolanenſis Litteraturae ſumma cum laude accuratiſſime dedit, quantum quoque Ioannes Andreas Iricus, Socii Palatini, & Philippus Argelatus de litteris & Antiquitate optime meriti ſint!

Venetiis quamprimum prodibit ſumtuoſiſſima Dactyliotheca Zanettiana meis obſervationibus ornata. Gemmarum antiquarum rariorum, quae in Smithiano Muſeo adſervantur, Syntagma parat Ioannes Baptiſta Paſqualius, qui ut illud illuſtrem, dum haec ſcribo, me rogavit. P. D. Anſelmus Coſtadonus, Monachus Camaldulenſis, Monaſterii S. Michaelis in Murano Bibliothecarius, omnigena eruditione Antiquitatis excultus, binas eboreas antiquas Tabulas pretioſiſſimas, ſculpturis ſacris ornatas iam illuſtravit, & Latino Commentario, me rogante, donavit. Idem cum ſocio ſuo P. D. Mita-

Mitarellio conficit Hiſtoricis adnotationibus locupletatum Catalogum octingentorum Codicum antiquorum, qui in Bibliotheca eiuſdem Monaſterii adſervantur. Ioannes Dominicus Comes Bertolius, Canonicus Aquileienſis, nunc totus eſt in elucubrando altero Volumine Antiquitatum Aquileienſium, compluribus antiquis monumentis nunquam antea editis referto: quod ut copioſius praeſtet, nuper Aquileiam ſe contulit, ut in aliquot locis ea effodienda curaret. Vtini in eruendis ab oblivione & interitu priſcis ſacris profaniſque Antiquitatibus ſedulo nunc incumbunt Laurentius a Turre, Praepoſitus Oratorii eiuſdem Vrbis, nepos Doctiſſimi Praeſulis Philippi a Turre Epiſcopi Adrienſis; idem preſtat Ioſeph Binius Archidiaconus Cathedralis Eccleſiae Gemonenſis, mihi amiciſſimus.

Brixiae effudiuntur, & in lucem mittuntur lectiſsimae eruditionis theſauri, omnibus Litteratis praeeunte Eminentiſsimo Cardinali Bibliothecario S. Sedis Qvirino, cuius inſignes labores, ſummo animi ardore, conſtantia, & doctrinae luce ad finem feliciter perducti, eximiis laudibus toto orbe celebrantur. Eius genio obſequuntur eruditiſſimi Brixienſes, in primis Comes Mazuchellius, & alii qui in eius aedibus confluentes, ad interpretanda Vetuſtatis monumenta, & Hiſtorias, ſymbolas ſuas conferunt.

Veronae quid non ſperandum habendumque ab immortali Viro Scipione Marchione Maffeio? qui iam paratum inſigniſſimum patriarum externarumque Antiquitatum Theſaurum, quatuor Voluminibus comprehenſum, excudendum curat, & primum Volumen propediem prodibit, ut monet Prodromus ſubſcriptionis. Taurinenſium marmorum

alterum Volumen avide expectamus ab eruditiſſimis Editoribus; & alias lucubrationes egregias a Cl. Ioſepho Bartolio, in Regio Gymnaſio Eloquentiae, & Poëſeos Profeſſore, quamprimum optata luce donandas.

Bononiae Hiſtoriam antiquis Monumentis elucidatam condit M. Formigliarius Metropolitanae Baſilicae Archidiaconus. Sed quae, & quam multa etiam a doctiſſimis illis Profeſſoribus, & Academicis, atque etiam a Praeſtantiſſimis illis Triumviris P. Abbate Trombellio, P. D. Salvatore Corticellio, & P. Rectore Graziolo non ſunt ſperanda, & accipienda litterarum bono, & ornamento? Mutinae adhuc viriliter contra otium, & temporis omnia vorantis ingluviem pugnat Praeſtantiſſimus Muratorius, cuius nunc antiquarum Sanctae Romanae Eccleſiae Liturgiarum Volumina duo Venetiis a Paſqualio excuduntur. Piſauri tertium antiquarum Lucernarum Volumen, adiectis aliis luce dignis monumentis, iam in promtu eſt cura, & ſtudio Illuſtris Viri Patricii Piſaurenſis, Hannibalis de Abbatibus Oliverii, cum Obſervationibus amici mei optimi, Praeſulis Ioannis Baptiſtae Paſſerii, quem *Adamantium* adpello; nam & aliis non paucis meis Operibus (quod & nuper fecit in Tomo III. Muſei Etruſci) lectiſſima eruditionis ſuae fruge cumulandis, ut gratiora viris doctis ſint, nunc egregiam navat operam. Iam diu eſt, quod optamus, & fidem ſuam liberet Cl. Oliverius, in lucem edito antiquo Piſaurenſium Luco, monumentis vetuſtiſsimis referto.

Cortonenſes illuſtres Socii, mei Collegae, quidquid in Corythanis Noctibus ſuis meditantur, & parant, breviter proferent, & Muſei Academiae, & patriarum Antiquitatum Theſaurum nobis aperient

rient. Praeclarus Vir P. D. Ioſephus Pancratius Cler. Reg. Teatinus, eiusd. Academiae Cortonenſis Etruſcorum Socius, totum Siciliae Regnum editis Numis, nunquam antea cognitis, & Tabulis Geographicis brevi illuſtratum exhibebit: quae omnia Itineris eius comes, egregius Pictor Salvator de Hectore ſumma fide & diligentia delineavit.

Lucae Baronianum Eccleſiaſticae Hiſtoriae Theſaurum, & alia inedita inſignia monumenta in lucem profert Clariſs. Ioannes Dominicus Manſius e Congregatione Matris Dei Lucenſis.

Poſtremo quantum & Florentia tribuat elucidandis depromendiſque vetuſtis monumentis, ſatis luculenter declarat Societas Columbaria Florentina, quae actutum alterum Volumen ſuarum elucubrationum prelo ſubiiciet. Antonius Maria Biſcionius, Canonicus Baſilicae Laurentianae, atque eius Bibliothecae Regius Praefectus, de litteris optime meritus, Catalogum MSS. Codicum eiuſdem Bibliothecae in lucem proferet. Praeter quatuor milia Inſcriptionum medii aevi, quas Romae *αὐτόπτης* exſcripſit, collegit, & in ordinem ad exemplum Scaligeriani Indicis ad Gruterianum Theſaurum, digeſsit V. Cl. D. Petrus Aloyſius Gallettius, Monachus Caſinenſis, in Florentina Abbatia Philoſophiae & Mathematices Profeſſor meritiſsimus, mihi amicitia coniunctus, adſiduo ſtudio ac labore nunc parat Hiſtoriam eiuſdem Abbatiae Florentinae, veteribus omnibus ab origine monumentis ad hoc tempus illuſtratam, & quamprimum veluti Prodromum & Specimen dabit Hiſtoriam celebris Abbatiae Tedaldae, quae Maſſa Trabaria olim dicebatur. Quae & quanta praeſtet litteratio orbi notiſsimus Ioannes Lamius, iam ex editis edendiſque lucubrationibus in eius Ca-

talogo notatis, perſpicue intelligi poteſt. Meurſianum egregium opus, XII. & forte pluribus Voluminibus comprehenſum, eius cura Notis locupletatum excuditur, itemque Hiſtoria Sanctae Eccleſiae Florentinae ab eo quamprimum proferetur. Cl. Dominicus Maria Mannius monumenta medii aevi continuat poſt Muratorianam Collectionem, & nunc totus eſt in elucubranda Hiſtoria Eccleſiae & Monaſterii Florentini S. Felicitatis. Cl. Laurentius Meheus Hiſtoriam Litterariam ſequiorum ſaeculorum illuſtrare pergit. De meis litterariis curis nihil dicam; ſatius enim duco facere quae proſint, & maledicos invidoſque Cenſores contemnere, quam enumerare, quae aures delectant.

Silere vero nefas eſt Piſani Lycei Celeberrimos Profeſſores Leopoldum Guadagnium, Stephanum Fabbruccium, & duo illa bonarum litterarum, & Ordinis Clericorum Reg. Scholarum Piarum praeclara decora & ornamenta, P. Alexandrum Politum, & P. Odoardum Corſinium, quorum alter nunc Romanum Martyrologium, Dionyſium Periegetem, & Euſtathium egregie illuſtrat; alter vero Faſtorum ſuorum Atticorum parat nunc Volumen III. & iam in Notas antiquorum Marmorum Graecorum magno labore perfecit Commentarium eruditiſsimum, Criticis notis, atque emendationibus ubique optimis locupletiſsimum. Ex his omnibus perſpicuum eſt, quam impenſe in Italia, & in Etruria, Antiquitatis eruditae ſtudia excolantur, atque illuſtrentur.

His praemiſſis, profero nunc NOTITIAS Virorum illuſtrium ad me ſciriptas per epiſtolas, quorum auctoritati, & magni ponderis teſtimonio hae meae qualeſcumque Obſervationes innituntur.

NO-

N O T I Z I A I.

Di alcuni inſigni Monumenti antichi, ſcavati alla Real Villa di Portici l' anno MDCCXI. data da D. Giuſeppe Stendardo, Architetto Napolitano, al Sig. Bindo Simone Peruzzi, Patrizio Fiorentino.

Ritrovandoſi nella Città di Napoli S. A. il Signor Principe D' Elboeuf, con titolo di Generale, al ſervizio dell' Imperadore CARLO VI. *fu al medeſimo aſſegnato dalla Regia Corte il Palazzo del Principe di Santo Buono, poſto nella Villa di Portici per ſua villeggiatura; e perchè gli riuſcì molto amena, determinò di fabbricare ivi un Caſino, come fece, contiguo al Monaſtero de' PP. Scalzetti di S. Pietro d' Alcantara nel Lido del Mare: e volendo adornare il medeſimo, fece venir di Francia un Profeſſore, il quale componeva un liſcio di meſtura, ove erano neceſſarie le polveri di alcuni marmi, e pietre antiche ſpolverizzate, che componevano uno ſtucco duriſſimo più del marmo, e lucido. Dal medeſimo Principe ſi fecero molte diligenze per procurare detti frammenti, come ſeguì. Un giorno ſtando a deſinare detto Principe, venne un Contadino, e gli fece il rapporto, che nel mentre faceva un pozzo nella ſua caſa, paſſato il Monaſtero de' PP. Scalzi Agoſtiniani, poſto in detta Villa, aveva ritrovato alcuni frammenti di pietre antiche, che ſeco portò, che erano, roſſo antico, giallo, fior di perſico, e alabaſtro fiorito. Terminato, ch' ebbe di deſinare il Signor Principe, ſi portò nella Caſa di detto Contadino, e determinò ivi di far*

diligenza, come in effetto fece. Chiamò gli Operaj, e colla direzione di Perito (1), *che ſeco conduſſe, s' incominciarono a fare nel pozzo de' cavamenti regolari, ſuperiori un braccio, o un braccio e mezzo dal livello dell' acqua: e paſſati pochi giorni ſi ebbe la ſorte di trovare una Statua d' Ercole di ſcultura Greca, benchè reſtaurata. Di lì ad altri giorni, continuando i detti cavamenti, fu ritrovata una Statua di Cleopatra, benchè tronca in un braccio, e in un piede, che poi ſi ritrovò. Continuandoſi in appreſſo il detto ſcavo, fu ritrovato un maſſo di marmo, di un braccio, e un terzo in circa di riquadratura, da circa braccia cinque, e mezzo di lunghezza, che con gli argani tirato ſopra, e ſtante, che nelle facce di eſſo vi era della roba glutinata bituminoſa, eſſendoſi voluto ſpogliare, vi ſi ritrovarono alcune lettere di metallo Corintio, incaſtrate in detto marmo, di lunghezza un quarto di braccio Fiorentino in circa, di carattere Romano, che dicevano:*

APPIVS PVLCHER
CAII FILIVS

Con queſta notizia il Perito aſſiſtente (2) *ebbe lungo colloquio con molti Letterati della Città di Napoli, e in particolare col Celebre Signor Dottore Giuſeppe Valletta. Alcuni diſſero, che Retino figlio d' Ercole ſecondo, aveſſe fabbricato il Porto ad Ercolano, oggi detto* Torre del Greco: *e che il detto luogo prendeſſe la denominazione di Retino, al preſente detto* Reſina; *e che*

(1. 2) Il Perito quivi nominato, è il mentovato D. Giuſeppe Stendardo, Architetto Napolitano, autore di queſta memoria, e deſcrizione.

che vi aveſſe fabbricato un Tempio. Queſto era di figura rotonda, moſtrando dalla parte eſteriore, che vi erano ventiquattro Colonne di alabaſtro fiorito, e che fra una Colonna, e l' altra vi erano collocate delle Statue ſituate in nicchie: e nella parte interiore vi erano 24. Colonne di giallo antico; e che il pavimento ſimilmente era di marmo giallo. A tal notizia il Principe D' Elbocuf molto ſi animò a proſeguire con calore detti ſcavi; e ſi ebbe la ſorte di ritrovare molte porzioni di Colonne di alabaſtro fiorito, e ſette delle dette dodici Statue, rappreſentanti varie Dee, di ſcultura parimente Greca. In appreſſo ancora furon ritrovate altre porzioni di Colonne di giallo antico &c. Onde ſi crede, che detto Tempio foſſe ſtato diroccato dalle Lave del Veſuvio nell' eruzione ſeguita nell' anno 79. della Redenzione del Mondo, in tempo dell' Imperatore Tito, come vogliono tutti gli Storici: eſſendoſi laſciato allora d' inveſtigar meglio a qual Dio foſſe conſacrato.

Comunicatami dal Signor Bindo Simone Peruzzi, queſto dì 24. Aprile 1741.

NOTIZIA II.

Articolo di Lettera del Sig. Marcheſe, e Cavaliere Marcello Venuti, ſcritta all' Autore di queſto Opuſcolo.

Napoli 17. *Gennaio* 1738.

VEnendo adeſſo a darle qualche novità, le dirò, che vicino alla Real Villa di Portici, nel fondo di un pozzo, 86. palmi ſotto terra, eſſendoſi ritrovati alcuni pezzi di marmo, ed eſſendovi

dovi tradizione, che altre volte ci ſi trovarono alcune Statue, fece il Re lateralmente cercare, con far cavare alcune vie ad uſo di mine. Non molto ſi lavorò, che ſi trovarono frammenti di due grandi Statue Equeſtri di bronzo Corintio; indi ſi ſcoprivano di tanto in tanto alcuni pilaſtri di mattoni molto ben formati, ed intonacati, e dipinti di varj colori. Tra queſti ſi ſcavarono tre Statue più grandi del naturale in piedi togate, e intiere di marmo. Sua Maeſtà ſi portò a vedere dette Statue, ed io che lo ſeguitavo, come è mio ſolito, quando va in Villa, mi calai in quei profondi ſcavi, e oſſervai, che ſi ſcopriva una grande ſcala, i di cui gradini erano più lunghi, e più alti del ſolito; e giudicai, che foſſe un grande o Teatro, o Anfiteatro: e dopo, ciò riferito al Re, ſi trovò i frammenti di una grande Inſcrizione, che ci aſſicurava, eſſere un Teatro, come dimoſtrano le quì riportate Inſcrizioni.

Sua Maeſtà mi comandò di fargli in ſcritto una breve Diſſertazione ſopra tale Inſcrizio-

....F. MAMMI.... RVFVS . IIVIR . QVIN . THEATR . ORCH....

DE SVO

In un altro grande Architrave.

L. ANNIVS . L. F. MAMMIANVS . RVFVS . IIVIR . QVINQ . THEATR . O....

P. NVMISIVS . ARC ... TEC ...

zione, e ſopra la Storia del Paeſe: il che feci, ed ebbi la ſorte di ottenerne gradimento. Ogni giorno ſi trovano rottami di cornicioni belliſſimi di marmo, capitelli, e frammenti di colonne di giallo antico, e altri marmi, e preſto ſi comincerà a ſcoprire tutto quel grande Edifizio.

Ella vede in queſti marmi caſualmente ritrovati, nominati i Duumviri Quinquennali di Ercolano, che fabbricarono il Teatro, e l' Orcheſtra, ed il nome dell' Architetto del medeſimo Teatro, che rovinò al tempo di Tito in quella eruzione del Veſuvio, che fu grandiſſima, come dice Dione.

In queſta ſettimana ſi è trovata una ſpecie di Cornucopia, che fu già attaccata al muro, con figura in fine di teſta d' Aquila. Queſta è di bronzo ſtato indorato, e ha un buco nel collo. Io credo ſia ſervita per ſoſtenere qualche lampada.
Di tutte queſte coſe Ella mi dica il ſuo ſentimento, e mi ſaluti i Signori Socj Colombarj, ai quali porterò ſempre una ſomma venerazione, e con tutto l' affetto, ed oſsequio mi proteſto.

NOTIZIA III.

Articolo di Lettera del mentovato Sig. Marcheſe, e Cavaliere Marcello Venuti, ſcritta al ſuddetto Autore.

Napoli 24. *Marzo* 1739.

1. A' *Portici ſempre ſi va ſcoprendo maggiormente il profondiſſimo antico Teatro. Si ſono cavati frammenti di Cavalli di bronzo indorati, ed*

ed una gran Statua di bronzo di Femmina, però ſolo colla metà della teſta. Non vi è dubbio, che la parola abbreviata ORCH *deveſi interpretare* ORCHESTRAM. *A i Portici era vicina la Città d' Ercolano, la quale fu Colonia Romana, come ho veduto da una Inſcrizione da me copiata, che ſta in Napoli; nè le lettere ſono dubbioſe, ma ſcolpite come ſe foſſero fatte adeſſo; e ſono cubitali. Mi ſaluti i Signori Socj Colombarj, tra quali io mi ſtimerò ſommamente onorato, quando ſi degneranno darmi luogo tra loro &c.*

Altra del medeſimo in data de 13. Aprile 1739.

2. NOi *troviamo Statue di bronzo muliebri nell' antico Teatro di Ercolano; ma rotte nella teſta. Le nuove Inſcrizioni ſono troppo mutile; ma ſpero, ſi troverà il rimanente &c.*

NOTIZIA IV.

Lettera del Sig. Abate Ridolfino Venuti al medeſimo Autore.

Roma 6. Giugno 1739.

NON *ſapendo, ſe codeſta illuſtre Società Colombaria ſia ſtata ragguagliata da mio Fratello delle nuove ſtupende Scoperte, che continuamente ſi van facendo a Napoli nella Real Villa di Portici, mi pregio traſmettere alla medeſima per mezzo di VS. il dettaglio, che me ne fa il detto mio Fratello.*

Diciotto gradini del Teatro da L. Annio Mammiano Ruſo fabbricato, coll' aſſiſtenza di P. Neme-

meſio Architetto, ſi ſono già ſcoperti, e oltre alle già deſcritte Statue, e ornati, negli ſcorſi giorni ſi ſono trovati Cavalli rotti, con i frammenti di un Carro, le di cui rote ſono intere, il tutto di metallo; e ſembra, che poſaſſe ſopra la Porta del Teatro. Parimente alcune Statue di metallo grandi, tralle quali una, che è coloſſale, credeſi di Tito Veſpaſiano, che dodici uomini non potevano muovere, anch' eſſa di metallo, e dentro ripiena di piombo. Sono anche ſtate trovate altre Statue di Metallo piccole, di belliſſimo lavoro: un Baſſorilievo con Gente Barbara, che fugge, che pensò mio Fratello forſe rappreſentare Ebrei ſconfitti da queſto Imperadore, che fuggono: molti frammenti d' Inſcrizioni, tralle quali le più conſervate ſono le ſeguenti:

IMP. T. VESPA.....
CAESARI. AVG.
TRIB. P. COS. II...
M.....

Sotto una belliſſima Statua di un Vecchio Togato leggeſi la ſeguente Inſcrizione:

M. NONIO. M. F. BALBO
PR. PRO. COS
D. D.

Dopo queſte ſcoperte, appreſſo ad una muraglia ſi ſon trovate tre Colonne grandiſſime ſcannellate, fat-

fatte di ſtucco di bella maniera ; e tra gl' intercolonnj due gran Lapidi di marmo , che contengono più di 400. *nomi di Liberti . Il titolo è mancante : vi ſi vedono i nomi di due Tribù , cioè* VENERIA , *e* CONCORDIA , *che paiono particolari di quella Colonia ; poi ſotto ſi vede in caratteri più grandi la parola* ADLEGERVNT : *ſotto la quale varj nomi di Perſone ingenue , e nobili , col nome di varie Tribù Romane ; onde ſi crede , che queſti ſiano i Decurioni della Colonia , altri principali del Senato , che abbiano dati o onori , o privilegj a quel gran numero di Liberti . Se queſte noſtre oſſervazioni incontreranno l' approvazione ſua , e di codeſta dottiſſima Adunanza Colombaria , ci riputeremo molto felici ; mentre pregandola a portare intanto alla medeſima i miei più umili riſpetti , mi dico al ſolito .*

NOTIZIA V.

Articolo di Lettera del medeſimo Chiariſſimo Sig. Abate Ridolſino Venuti all' iſteſso Autore.

Roma 8. *Agoſto* 1739.

NON *voglio tralaſciare di traſmettere a codeſta Illuſtriſſima Società Colombaria per mezzo ſuo la Continuazione delle ſcoperte fatte a Napoli . Vicino al conſaputo antico Teatro , trovato a Portici , ſi è novamente ſcoperta una ſtanza tutta dipinta a chiari ſcuri roſſi , e gialli . Vi ſi vedevano combattimenti di Fiere , certe Tigri attorno ad alcune Viti : teſte di Fauni , e Meduſe , ed in mezzo Mercurio alato con un Putto in braccio ;*

ap-

appreſſo il quale ſta una Donna ſedente, che prende il detto Mercurio per la mano, dal che argomentaſi eſſer Bacco condotto a balia. Credeſi queſta ſtanza un Colombario, o luogo, che non ha correlazione col Teatro, eſſendoviſi trovati molti Vaſi, chiamati Lacrimatorj, *Olle, e una bella Lucerna di metallo, e altra di terra. Si è data ſopra le Pitture una vernice, che le conſerverà, e che ha fatto lor metter fuori il colore, e ſi taglieranno, e ſe ne farà tanti bei Quadri per la Galleria del Re.*

A Baia ſi è trovato un belliſſimo Sarcofago di marmo Greco, eſprimente la morte di Meleagro, appreſſo al quale ſi è trovata l' anneſſa Inſcrizione:

ACVTIO . BASILEO
QVI . VIXIT . ANN . XXII .
ſic MENSIS VI DIEBVS XIII
CASSIVS THEON
FILIO BENE
MERENTI FECIT

A Gaeta ſi è trovato un gran Capitello di granito poco meno grande di quello della Colonna Trajana, e una gran Fabbrica di grandiſſime pietre quadrate di marmo, in cui dicono vi foſſe l' Inſcrizione, la quale hanno guaſtato, e rovinato, con la ſperanza di trovare la gran Colonna; ma è ſtato fino ad ora in vano.

Nel vaſto Teatro di Ercolano ſi è trovata una Statuetta di marmo rappreſentante Venere, che è belliſſima, nella poſitura della Venere de' Medici,

ap-

appoggiata però a un termine di Priapo barbuto &c.

Un altra Inſcrizione ſi è trovata a Baia, che dice:

D . M
IVLIAE AVIAE NATIONE
VERN. NVHERINE *ſic*
VIX . ANN . XXXIII .
C. MODIVS VALENTINVS
MATRI DVLCISSIMAE
B . M . F .

Mi conſervi la ſua grazia, e portando i miei riſpetti alla Società Colombaria, mi confermo.

NOTIZIA VI.

Articolo di Lettera dell' iſteſſo Chiariſſimo Sig. Abate Ridolfino Venuti al medeſ. ſuo Amico.

Roma 5. *Settembre* 1739.

MI rallegro del ſuo bell' acquiſto del Termine, o Colonna Etruſca, la quale ſta molto bene in ſue mani. A' Portici ſi cavano belliſſimi pezzi di Pitture con colori vivi, come dipinti adeſſo; e le ultime ſono Paeſi, e Proſpettive di Caſe, e Architetture con Figure, con Sacrificj, Animali veri, e fantaſtici, e in ſpecie belliſſimi Pavoni. Cavarono una belliſſima teſta di marmo di Femmina, la più bella di tutte: parimente un Medaglione di marmo di mezzo braccio di diametro,

con

con baſſorilievo a dritto, e a roveſcio. Da una parte vi è un ara col fuoco, e un Fauno ſedente, che ſuona due flauti. Dall' altra vi è una figura muliebre, che tiene per i piedi un porco, e un Fauno lo tiene per la teſta, che appoggia ad un ginocchio, e coll' altra mano lo ſcanna, e il ſangue cola in un vaſo, che ſta in terra. Si vede l'anello, che teneva attaccato il medaglione, il quale certamente ſtava ſoſpeſo in qualche parte ove potevaſi vedere da i due lati. Altro bel Maſcherone di marmo, barbato, ſi è trovato, che anche queſto ſtava ſoſpeſo, per avere anch' eſſo l'anello di ſopra.

Fra le lave eruttate dal Veſuvio, rompendoſene una, vi ſi è trovata una Gioia, come Smeraldo traſparente, duriſſimo, tinto di macchie ſanguigne, che portato alla Regina, ha ordinato intagliarviſi il Veſuvio, e dietro queſta Inſcrizione fatta dal Celebre Sig. Canonico Mazzocchi.

EX ANTIQVIS
VESEVI CONFLAGRATIONIBVS
CONCEPTVS
PATREM IGNIVOMVM
EXHIBEO

Quì i PP. Geſuiti in queſti giorni hanno acquiſtato queſte due Inſcrizioni, che danno molto da dire:

PHOEBO . MARCIAE
MAXSIMI . AD . MARGARITA
*III*T . ARESCVSAE . VICARIAE
EIVS
IIIII MENVS CONLEGA

A . SVLPICIVS . FELIX
ſic FE . REMIE . HEDONE
VXORI . SVE . D . S . V .
KARISSIME . VIXIT
AN . XXXV .
H . C . S .

Mi conſervi la ſua grazia, e quella della Società, e reſto tutto ſuo al ſolito.

NOTIZIA VII.


Articolo di Lettera dell' iſteſſo.

Roma 31. Novembre 1739.

GOdo delle belle ſcoperte di Antichità Etruſche fatte a Volterra, che ſaranno un nuovo campo per la ſua erudizione.

A Napoli ne' ſoliti Scavi ſi è trovata la più bella coſa del Mondo. Un muro dipinto con figure grandi al naturale, belliſſimo, e viviſſimo, più bello, che le Opere di Raffaello. Rappreſenta Te-
ſeo

ſeo col Minotauro morto a i piedi, con fanciulli, e vergini intorno, che gli baciano le mani, e le ginocchia per ringraziamento. Teſeo è tutto nudo, con una clava ſottile in mano, e un panno roſso nella ſpalla Ha un anello; e ſi vede il Laberinto belliſſimo. Queſto cavo è un Tempio di Ercole; perchè ſi è trovata la ſua ſtatua di bronzo con tutti gl' inſtrumenti de' Sacrifizj. Il più ſtrano è, che ſi è trovata una lapida quadrata con queſto verſo nel mezzo, che credo di caratteri Samniti, o più toſto Etruſchi, alla roveſcia, molto ben formati.



Può tutto queſto comunicare all' Accademia Colombaria, mentre deſideroſo de' ſuoi comandi mi dico.


L' iſteſſo ritrovamento ſi deſcrive nel Tomo I. delle Novelle Letterarie di Firenze al Num. 3. Col. 42. in data de' 15. Gennaio 1740. in tal guiſa comunicato da chi ſcrive.

NAPOLI.

1. I *Molti ſcavamenti fatti alla Real Villa de i Portici, e i Monumenti inſigni ritrovati nell' antico Teatro, come Statue di metallo, e di marmo, hanno fatto riſolvere Sua Maeſtà il Re delle due Sicilie, a far diſegnar tutto con ſomma diligenza, per darſi poi alla luce colle ſtampe; tanto più, che ultimamente nello Scavo fu trovato un muro tutto dipinto da eccellente Maeſtro antico, tutto ſtoriato di figure grandi al naturale, con colori bellifsimi, e così vivi, che non ſi può ſenza ſtupore riguardare un opera così inſigne, e perfet-*

 ta.

ta. Le pitture rappreſentano Teſeo col Minotauro morto a i piedi, con fanciulli, e vergini intorno, che gli baciano le mani, e le ginocchia per ringraziamento. Teſeo è tutto nudo, con una clava ſottile in mano; dalla ſpalla di eſso grazioſamente gli pende un panno roſso; ha in dito un anello, e vi è effigiato il Laberinto, che è belliſsimo. Si crede, che nel luogo dove è ſeguito tal ſcavamento ſia ſtato un famoſo Tempio dedicato a Ercole; perchè ivi parimente è ſtata trovata una ſtatua di bronzo del medeſimo Nume, con tutti gl' inſtrumeati ſoliti adoperarſi dagli Antichi ne i ſacrifizj. Il più curioſo, e degno dell' oſservazione de i Letterati ſi è, che ivi è ſtata trovata una lapida quadrata, con queſto verſo nel mezzo di caratteri molto ben conſervati, i quali da alcuni ſon creduti Etruſchi, da altri Sannitici.



Si ſpera in altro ſcavo da farſi, che ſi ritroveranno altri monumenti degni di eſsere in appreſso notati.

Si moſtra con riprodurre tali Notizie, eſſere ſtati i Fiorentini i primi a dare avviſo a i Letterati di queſte inſigni ſcoperte, le quali furono allora aſſai gradite, e col progreſſo di tempo ſono andate notabilmente creſcendo.

NO-

NOTIZIA VIII.

Altro Articolo di Lettera del medeſimo.

Roma 13. Febbraio 1740.

LA lunga Inſcrizione Etruſca trovata a' Portici ſarebbe coſa molto notabile per la ſua Opera; e biſognerebbe, che mio Fratello glie ne mandaſse un' eſatta copia, conforme gli ho ſcritto, con le miſure, e altre circoſtanze neceſsarie.

Anche in queſti giorni ſi ſono ivi cavate a' Portici belliſſime Pitture, con molte figure grandi al naturale, che paiono dipinte adeſso. Vi è una Donna ſedente, che tiene in mano un baſtone nodoſo del color del ferro, coronata d' erbe, e fiori: e dalla parte ſiniſtra vi è un gran caneſtro d' uva, e frutti, e meli granati. Dietro vi è un bel Faunetto, che ſuona la fiſtola di ſette canne. In faccia, voltato verſo la detta Donna, vi è un Uomo nudo con barba corta nera, coll' arco, e carcaſſo pieno di frecce, e la clava. Dietro a quello vi è altra Donna coronata di ſpighe, che pare parli colla prima. Sotto queſta prima Donna, cioè a i ſuoi piedi, vi è una damma, o ſia cerva, che allatta un fanciullo. Nel mezzo di queſta Pittura, vicino all' Uomo, vi è un Aquila, e all' iſteſſa linea un Leone vivo, e pacifico. Da noi ſi crede, che queſta Pittura rappreſenti Telefo figlio d' Ercole allattato dalla Cerva. Tutte queſte coſe ſi fanno dal Re intagliare &c.

Queſt' iſteſſa Notizia ſi trova deſcritta nel Tomo Primo delle Novelle Letterarie pubblicate in Firenze l' Anno 1740. al Num. 9. Col. 138. comunicata da chi ſcrive; onde ſi ſtima bene riferire quì tutto l' Articolo.

NO-

NOTIZIA IX.

Dal Tomo Primo delle Novelle Letterarie di Firenze al Num. 9. in data de' 26. Febbraio 1740. Col. 138. e 139. comunicata da chi ſcrive.

Altra inſigne ſcoperta di Monumenti antichi con ſommo piacere del Re è in queſti giorni ſeguita alla Real Villa di Portici. Sono ſtate trovate Pitture di una grande antichità, belliſſime al maggior ſegno. Rappreſentano queſte molte figure grandi al naturale, con iſquiſito guſto condotte; e quel che ha recato più maraviglia, ſi è, ad onta di tanti ſecoli, e dell' ingiurie del tempo, l'averle ritrovate intatte, e di un colorito sì bello, e sì vago, che paiono di pochi giorni dipinte. Si vede da un lato una Donna ſedente, la quale tiene in mano un baſtone nodoſo, tinto del colore del ferro, ed è inghirlandata di erbe, e di fiori. Preſſo di eſſa, dalla parte ſiniſtra, vi è eſpreſſo un gran caneſtro, ricolmo di uve, frutta, e melagrane. Dietro ad eſſa ſta un bel Faunetto, che ſuona la fiſtula, compoſta di ſette canne. In faccia ſta, voltato verſo quella Donna ſedente, un Uomo nudo, con barba corta nera, ed ha l'arco, e 'l carcaſſo pieno di frecce, e la clava, e ſembra eſſer Ercole. Dietro a queſto ſi oſſerva un altra Donna coronata di ſpighe, ed è effigiata in tale attitudine, che moſtra di parlare coll' altra Donna figurata in primo luogo; intorno a i piedi della quale ſi vede una cerva, che allatta un fanciullo. Nel mezzo di queſta pittura vicino all' Uomo, è eſpreſsa un Aquila, ed all' iſteſſa linea un Leone aſſai vivo, ma in atto pacifico. Gli Eruditi credono, che in queſta pittu-

ti e due luoghi (1). *Queſta sì intricata quiſtione è occupazione almeno di un anno per deciferarla, per conciliare gli Autori antichi Greci, e Latini in non piccolo numero, che parlano delle coſe noſtre, e fare le dovute critiche oſſervazioni, e torre da mezzo tanta confusione, quanta ne ſparge da per tutto il noſtro dotto Pietro Laſena, che merita in ogni rifleſſione la ſua cenſura.*

Al preſente il noſtro Re con magnificenza veramente reale ha incominciato a cavare in Cuma altra Miniera vaſta, ma un poco eſauſta; perchè non erano coperte le Antichità dal Veſuvio, come in Resína, ſeu *Ercolano. Del reſto ſi è trovata una Galleria con non poche Statue Coloſſali, delle quali una ſi è cavata, ed è un Ercole di* 14. *in* 15. *palmi alto, nudo affatto, a cui mancano porzion delle braccia, e delle gambe: vi é la Teſta, e queſto più che Torſo, non ha che cedere all' Ercole Farneſe. Tutti queſti Pittori l' ammirano a ciglia inarcate. Si caveranno da tempo in tempo l' altre ſimili Statue, e ſi porranno ſotto gli Archi di queſto gran Palazzo Reale di Napoli, colle basi moderne. Si ſon trovati alcuni belli Baſſirilievi, due belle Inſcrizioni, una Greca da me interpretata, l' altra difficiliſsima in lode di Venere in versi eſametri, anche da me illuſtrata, e letta al Signor Aba-*

(1) Soggiugnerò appreſſo quanto ſcrive il Laſena nel Cap. IV. dell' antico Ginnaſio Napolitano dalla pag. 77. alla pag. 84. perchè ſi eſamini bene quel che ſcrive queſto dotto Autore. Non ammette, che gli Ercolaneſi aveſſero il Teatro; e però non ſchiariſce, ma confonde chi legge le ſue per altro dotte oſſervazioni. I ritrovamenti in eſſo fatti, parlano da ſe. Vuole, che ſedendo il Popolo nel Teatro Napolitano, e non nell' Ercolano, quelle miſere Città Pompej, ed Ercolano reſtaſſero ſotterrate, e diſtrutte dall' erutrazioni del Veſuvio. Li memorabili avanzi di Ercolano ora moſtrano, ſe eſſo era di poco conto, come egli dice.

Abate Coſsali , e ſi mandò al dottiſsimo Apoſtolo Zeno una piccola copia: oltre ad infinite Inſcrizioni Sepulcrali di Liberti ( ), che tutte , ſe non ſerbo meco , sò però ove ſono .

Non ſi può più dubitare , che Herculaneum *ſia Resína ; sì perchè nell' Itinerario d' Antonino dicesi eſſer lontana da Napoli ſei miglia , perchè la Torre del Greco , che ſi credea Erculano , ſi dice da noi* Turris Octava, *perchè diſta da queſta Metropoli otto miglia , e in ogni miglio forſe vi era una Torre .*

Sento da Amici , che han lette alcune reliquie d' Inſcrizioni , e han diviſato lettere cubitali , ove ſi leggeva chiaramente il Teatro , e l' Architetto Ruſo , che l' aveva fatto (2) .

Il Cavamento giugne ſino ad ottanta palmi in giù , e tutto è coverto dal bitume immenſo , che ha vomitato in diverſi tempi il Veſuvio , e queſto luogo ſarà più di cinque , o ſei miglia lontano dalla bocca di sì famoſo Vulcano . Il luogo è diſcoſto dal noſtro Cratere , ſeu *Mare , circa un miglio . Vi ricordo a fare oſſervazione degna da farſi da ogni Uomo ſavio , che queſto Teatro , e Città Erculanenſe ha ſopra il doſſo ottanta palmi di maſſo di*

(1) Ci è ſtato narrato in queſti giorni , che eſſendo ſtato trovato anni ſono un Marmo ſcritto con una quantità grande di Nomi di Perſonaggi Ercolaneſi , che fu miſeramente rotto ; perchè fu creduto , che conteneſſe le Litanie degli antichi Pagani , e che poteva non giovare , ma nuocere il conſervarlo . Siccome credendo chi accudiva agli Scavi di far bene , ſegò pel mezzo un ſuperbo Buſto di marmo di Giano Bifronte , facendo così due Buſti , e due Teſte .

(2) Sbaglia il Relatore ; perchè l' Architetto del Teatro , e parimente della Orcheſtra di Ercolano , non fu *Ruſo*, ma bensì P. *Numiſio* , come chiaramente atteſta il Marmo trovato fra le rovine dell' iſteſſo Teatro , da noi di ſopra addotto nella Not. I

ſo di bitume : e a tempo di Tito queſte ſpiagge erano baſſe tanto meno . Che ammirabili eruzioni di fuoco, e di ſaſſi !

Mi era dimenticato di avviſare , che ſi ſono trovate delle Pitture eccellenti in gran numero , e ſi ſono tolte dalle ſotterranee pareti , e ripoſte in luogo decente , che ſi moſtrano a' Profeſſori , che ammirano la forza delle tinte , il diſegno , e l'eſpreſſione della Favola , e ciò , che rappreſentano .

Eſſendo ſtato detto al Re , che tutti queſti retaggi d' Antichità ſi dovrebbero incidere in Rami , ſi cominciarono ad intagliare da poco eſperto Artefice ; onde venendo aſſai difettuoſe , ſi è mandato a chiamare da Roma ottimo Inciſore , con aſſegnarli una mercede aſſai onorata ; quindi ſapendo bene queſti il Diſegno , avrà il Pubblico il piacere di vedere Statue , e tutto il reſto del nuovo Muſeo .

Si è trovata una belliſſima Mano Pantea , che può molto eſercitare gl' ingegni amanti di sì erudite Antichità .

Nelle Dipinture rinvenute , e conſervate dal Re , ſi oſſervano Caſamenti di nobile Architettura , e in eſſi ſi veggono fineſtre cogli Specularj , che hanno ingannato alcuni mediocri noſtri Antiquarj , avendo ſpacciato eſſer vetri , come i noſtrali ; ma poſsono rappreſentare le conſapute pietre diafane , e traſparenti .

In ſomma , ſi potrebbe arricchire il Pubblico di varie notizie prima ignote , e illuſtranti i migliori Scrittori Greci , e Latini .

Appunto terminata ſin quì queſta frettoloſa Relazione (1) , *mi ſi avviſa da perſone degne di fede , eſ-*

(1) Ha fatto bene il Sig. Relatore a dire *frettoloſa Relazione* ; perchè in verità poco ci appaga , e certamente , ſe la faceva con più di flemma , poteva meglio ſodisfare alla noſtra curioſità , e renderſi più benemerito della gloria di Napoli ſua Patria . Per altro gli ſiamo obbligati del laudabil penſiero , che ſi è preſo di darci altre prove di quel che ſi è ivi trovato .

eſſerſi ne' giorni proſsimi paſsati rinvenuto un Polviglio da cucire tutto logoro, e sfatto, con dentrovi tutti i piccoli arnesi per tal meſtiere, achi, forbicetta, ditali, ed altro appartenente a Donna. In oltre una ben grande Statua di marmo, e groſsi pezzi di colonne di buon marmo, che ci promettono, inoltrandosi quei, che cavano, coſe aſsai rare.

XXI.

ASSERZIONE

Di PIETRO LASENA, intorno alla Rovina di ERCOLANO, eſtratta dal Cap. IV. dell' Opera del medeſimo, intitolata *Dell' antico Ginnaſio Napoletano, Opera Poſtuma.*

„ *IL Ginnaſio a ſe ne richiama, e per continuazio-*
„ *ne di materia, ſuccede quì il diſcorrere del*
„ *danno, che gli cagionarono i tremoti, e della ſua*
„ *riparazione, e del ſuo riſarcimento, per la cura,*
„ *che con parzialiſſima affezione Tito Imperadore ne*
„ *preſe. Il memorabile accidente del Fuoco Veſuvia-*
„ *no, che ha riſcaldato tanti ingegni allo ſcrivere,*
„ *ha fatto eziandio ricordare i pericoli avvenuti al*
„ *noſtro Ginnaſio in conformità dell' Inſcrizione del*
„ *marmo, che ne è rimaſto, nobiliſſimo avanzo, e noi*
„ *diffuſamente dichiareremo; ma avvengachè di vari*
„ *tremoti accaduti in queſta regione, per le memo-*
„ *rie, che ne conſervano gli Scrittori, abbiano coſtoro*
„ *favellato; parmi nientedimeno eſſer molto al noſtro*
„ *propoſito, che io riferiſca quì in riſtretto quello,*
„ *che oſſerva Cammillo Pellegrino, Gentiluomo Capua-*
„ *no, nel ſuo Diſcorſo Iſtorico degl' Incendi; il quale an-*

„ *cor-*

„ *corchè foſſe ſcrittura di pochi giorni, e toſtanamente*
„ *dopo il caſo del Veſuvio dettata, è nondimeno per-*
„ *fettiſſimo parto di accurato, e giudizioſiſſimo Scrit-*
„ *tore. Egli in materia de' tremoti conſidera tut-*
„ *to queſto tratto di paeſe, che ſotto il nome di*
„ *Campania è detto, eſſere frequentemente ſtato ſcoſ-*
„ *ſo da i tremoti: rammemora quel nobiliſſimo* (1),
„ *di cui impreſe a diſputare il Latino Filoſofo nel*
„ *Libro* VI. *delle ſue Naturali Queſtioni, e dal quale*
„ *fu rovinata la Città detta Pompei, ed anche in*
„ *molta parte l' altra, detta Eraclea, o dicaſi Erco-*
„ *lano; e Nocera, e Napoli, ne ſentirono ſimilmente*
„ *aſſai danni; quindi viene a i tempi di Tito, ed*
„ *all' autorità di Dione* (2); *il quale toccando le par-*
„ *ticolari circoſtanze dell' incendio Veſuviano, raccon-*
„ *ta, che*: Herculaneum, & Pompeios populo ſeden-
„ te in Theatro penitus obruit. *Il Pellegrino rap-*
„ *portandoſi in ciaſcuna altra coſa a queſto Scrittore,*
„ *ſoggiugne:* In una ſola coſa a Dione io non mi
„ aſſicuro di preſtar fede; cioè, che da queſta incen-
„ ſione foſſero ſtate rovinate le Città Ercolano, e
„ Pompei, ſedendo i loro popoli nel Teatro a gli ſpet-
„ tacoli; benchè Tertulliano nell' Apologetico al Cap.
„ XXXIX. e de Pallio al Cap. II. par che affermi lo
„ ſteſſo, che Dione; perciocchè viſſe nella medeſi-
„ ma età; ma io di certo credendo, che dall' incen-
„ dio i circoſtanti luoghi furono disfatti, non sò ve-
„ dere, come nel Teatro ſeder potevano quei popo-
„ li, e non avvederſi del vicino incendio, il quale fin
„ da Miſeno fu da Plinio ſpeditamente veduto. Cre-
„ do più toſto, che nel Teatro ſedevano, quando
„ Pompei, per il tremoto ſcritto da Seneca rovinò.
„ *Queſta oſſervazione, come fa, che in ciò non*

„ *deb-*

(1) Seneca Lib. VI.
(2) Dione Lib. XLVI. pag. 757.

„ *debbaſi giudicare altrimente ; così mi porge occa-*
„ *ſione , che io diſgombri la caligine d' un altro co-*
„ *mune errore : il che per ſodisfazione di coloro , che*
„ *amano le Napoletane Antichità , e per la materia in*
„ *cui ci ſiamo incontrati , ſia neceſſario a ſaperſi . Se*
„ *adunque è vero , che il caſo di Ercolano , e Pompei ,*
„ *ſuccedè ſotto l' Imperio di Nerone : egli è da non*
„ *dubitarſi , che l' accidente ſteſſo ancora foſſe ſtato in*
„ *Napoli , regnante il medeſimo Imperadore ; imperoc-*
„ *chè certa coſa è , come ſopra abbiamo accennato ,*
„ *che cantando Nerone nel Teatro Napoletano , furono*
„ *gli ſpettatori ſopraſſaltati da un improvviſo tremo-*
„ *to .* Et prodiit Napoli primum (*dice di Nerone Sue-*
„ *tonio :*) ac ne concuſſo quidem repente motu ter-
„ rae Theatro , ante cantare deſtitit , quam inchoa-
„ tum abſolveret νόμον . (1)

„ *Cornelio Tacito* (2) *amplia queſto ſucceſſo , volen-*
„ *do , che dopo uſcita la gente , rovinaſſe con effetto*
„ *il Teatro .* Nam egreſſo , *dice egli* , qui affuerat po-
„ pulo , vacuum , & ſine ullius noxa Theatrum col-
„ lapſum eſt . *Dobbiamo forſe dire , che accidente così*
„ *memorabile foſſe parimente in* Napoli , *ed in Pom-*
„ *pei ſucceduto ? ma quando ? nel medeſimo , o in di-*
„ *verſo tempo ? Io oſſervo , che dottiſſimi uomini ſo-*
„ *no di parere , che il tremoto , per cui pericolò il*
„ *Teatro di Napoli , ſecondo il detto di Tacito , ſia*
„ *il medeſimo col deſcritto da Seneca , è ben vero ,*
„ *che Seneca dice , che avvenne nel Conſolato di Re-*
„ *golo , e di Virgino , cioè nell' anno* 65. *di Criſto*
„ *a i* 5. *di Febbraio , e Tacito lo riporta ſotto quello*
„ *di Lecanio , e di Licinio , che nella dignità gli*
„ *ſucceſſero ; tuttavia , nè per queſta diverſità , rifiu-*
„ *taſi l' accenata opinione ; e il Liſſio riſpettevole ver-*
„ *ſo*

(1) In Nerone Cap. 10.
(2) Corn. Tacito Annal. Lib. XV.

„ *ſo il ſuo Tacito, prorompe in queſte parole :* &
„ hercle tamen aſſeverat id Seneca, ut credam alte-
„ rum eſſe vitium, non Taciti, ſed Aegiſti alicuius;
„ *e il Grutero, ed il Giureto ſopra Seneca, non ſono*
„ *da Liſſio in ciò differenti; ma ſe doveſſimo per*
„ *avventura altrimenti dire, io muoverei alcuni dub-*
„ *bj. Primo, non pare, che Ercolano, o Pompei foſ-*
„ *ſero di tanto conto, che poteſſero mantenere le ſpe-*
„ *ſe, e il faſto d' un Teatro, e Teatro sì amplo, che*
„ *dùe popoli in uno vi ſi adunaſſero; Terre (ſe oſ-*
„ *ſerviamo gli Scrittori) non per altro, che per il*
„ *titolo della loro propria rovina reſeſi memorabili.*
„ *Secondo, l' accoppiare diſtinta, e nominatamente*
„ *due popoli in un Teatro, io non dico già inve-*
„ *riſimile; ma non ſuccede ſenza qualche ſpecialiſſima*
„ *cagione, la quale tacer non dovrebbeſi. Ma chi è*
„ *che ſappia ridire, ſe il Popolo Pompeiano era ſul*
„ *Teatro Ercolanenſe; o quei di Ercolano ſedevano*
„ *nel Teatro di Pompei; poichè non altro dice Dio-*
„ *ne, che:* populo ſedente in Theatro; *o pur cia-*
„ *ſcuno di queſti popoli nel ſuo proprio Teatro, e in*
„ *un medeſimo giorno, ed ora, come avviene del de-*
„ *ſinare, ſi ritrovavano alli ſpettacoli? In oltre, ſe il*
„ *caſo di Pompei è diverſo da quello di Napoli; tre-*
„ *moto così notabile, come ſucceduto nella Campania,*
„ *e con divario di poco tempo fra loro, ſarebbe anco*
„ *diſtintamente ricordato da Seneca, che a lungo*
„ *ne impreſe ragionamento: e ſe avvenne in un me-*
„ *deſimo tempo, come ſi può render poſſibile il crede-*
„ *re, che il giorno ſteſſo, nel quale ſi occupava il Tea-*
„ *tro Napoletano ad una novità tanto maraviglioſa,*
„ *di ſentire un Imperadore cantare nella Scena; così*
„ *vicine Città foſſero concorſe nella medeſima ſorte di*
„ *rappreſentazioni? ma eccoci fuora di difficoltà. Que-*
„ *ſto capriccio ſtraniſſimo di Nerone di voler eſſer*

G „ *aſcol-*

" *aſcoltato, e ammirato nel Teatro Napoletano, traſ-*
" *ſe gente di remoti paeſi, non che i convicini popo-*
" *li, a gli ſpettacoli; e tra per la novità della coſa,*
" *e per l' obbligo, che ſi ha d' onorare il Regnante,*
" *queſta eſibizione d' oſſequio anco per vari intereſſi,*
" *ſtimavaſi neceſſaria; il tutto non tacque Tacito* (1):
" Ergo contractum oppidanorum vulgus, & quos e pro-
" ximis Coloniis, & Municipiis eius rei fama cive-
" rat; quique Caeſarem per honorem, aut varios
" uſus ſectantur, etiam militum manipuli Theatrum
" Neapolitanorum complent: *Anche nel tremoto mira-*
" *bile, che ſuccedè in Antiochia, ſtando ivi Traiano*
" *(tanto la magnificenza de' giuochi, che eſibivano*
" *gl' Imperadori Romani, era ſolita tirare a ſe la*
" *curioſità della gente) molti ſi reſero partecipi di*
" *quell' infortunio; i quali, come l' Interprete del me-*
" *deſimo Dione:* viſendi Imperatoris, & ſpectandorum
" ludorum gratia confluxerant. *Alla di coſtoro ſomi-*
" *glianza negli ſpettacoli Napolitani furono ſenz' al-*
" *tro i Pompeiani, e gli Herculaneſi: e mentre ſede-*
" *vano nel noſtro Teatro (dica chi vuole altrimente)*
" *avvenne l' infortunio delle loro patrie. E quindi*
" *ancora nacque il giudicio dell' Imperadore, interpre-*
" *tando queſt' accidente in buona parte; perchè ſalva-*
" *ronſi quì quei, che nelle proprie caſe ſarebbono pe-*
" *riti* (2): Illic pleriſque, ut arbitrabantur, triſte, ut
" ipſe providum potius, & ſecundis Numinibus eve-
" nit; *avvengachè la caduta ruinoſa del Teatro, a pa-*
" *rer mio, non fu altrimente; dicendo Seneca* (3), *a*
" *cui in queſto dobbiamo preſtar maggior fede:* Nea-
" polis quoque privatim multa, publice nihil amiſit;
" leviter ingenti malo perſtricta; *tanto più, che il*
me-

(1) Annal. Lib. xv. c. 33. & 34.
(2) Lib. xvi. ibidem.
(3) Quaeſt. Nat. Lib. vi.

„ *medeſimo Tacito* (1) *aggiunge*: ergo per compoſitos
„ cantus, grates Diis, atque ipſam recentis caſus for-
„ tunam celebrans, &c. *la qual celebrazione, per ne-*
„ *ceſſità, dovette nel medeſimo Teatro eſſer ripetita;*
„ *e ſe non è queſto ſteſſo quello, che dice Suetonio* (2);
„ *conferma nondimeno il mio penſiero: qual ora ap-*
„ *preſſo al luogo già apportato, ei ſoggiunga:* Ibidem
„ ſaepius, & per plures cantavit dies: *il che in Tea-*
„ *tro rovinato non ſarebbe giammai ſeguito. Falſo è*
„ *dunque quello, che ſecondo il comun ſentire, diſſe*
„ *il noſtro Maſcolo:* Nec tantam accepit olim ſub
„ Nerone cladem, vel cum iactatione terrae corruit,
„ vel cum inter Nucerinos, & Pompeianos, apud
„ quos ſpectaculum edebatur, &c. *perchè non mai in*
„ *Pompei, o in Erculano furono tali ſpettacoli. Falſo*
„ *quello, che tanto volgarmente ſi declama in queſta*
„ *materia, che le rappreſentazioni loro riuſciſſero in*
„ *punizione: che il Teatro diveniſſe feretro, e che gli*
„ *ſpettacoli ſteſſi ſi cambiaſſero in ſpettacoli di miſe-*
„ *ria. Falſo altresì, che il Teatro Napoletano to-*
„ *talmente rovinaſſe; il che altrove ancora ſi dimo-*
„ *ſtrerà; benchè non ſia falſo, che in molte parti ri-*
„ *maneſse rotto, e danneggiato; come parimente il*
„ *Ginnaſio; e queſti danneggiamenti eſserſi reſi mol-*
„ *to maggiori nelle commozioni, che per le fiamme*
„ *del Veſuvio, vent' anni dopo ſi cagionorono; on-*
„ *de avendo Tito Imperadore con ogni ſtudio at-*
„ *teſo a render minore sì gran calamità, e riſtorar*
„ *de' danni queſta Regione, procurò anco del Ginnaſio*
„ *con iſquiſita diligenza riſarcir le rotture.*

G 2 NO-

(1) Annal. Lib. xv. c. 33. & 34.
(2) In Nerone cap. 20.

NOTIZIA XXII.

Articolo di lettera ſcritta da un Letterato Napolitano al Raccoglitore di queſte Notizie.

Napoli 23. *Aprile* 1748.

MI luſingo di poterle preſto inviare un piccolo Comento ſopra la lapida Omerica. Il Paride è ben diſtinto in tutto il marmo, e lo sbozzo, che già le mandai, fu fatto ſopra l' originale, che è veramente eccellente. In quanto alle maraviglie, che ſi ſcavano ad Ercolano, poſſo dirle, che ſempre più creſcono, e non ſi ſcava mai, che altre coſe più belle ſempre più non ſi diſcoprano. Del reſto io le do notizia, che ho poſto in una lunghiſſima, e diſtinta Relazione Critica, ciò che ſin ora è ſi trovato di nobile, e peregrino: tutte le Iſcrizioni, Pitture, Statue, Pavimenti, Colonne, arneſi caſerecci &c. e mi è riuſcito fare, come io le accennai, un nuovo ſiſtema dell' epoca dell' innabiſſamento di Ercolano, e Pompei, e lo dimoſtro con ragioni ineluttabili. In eſsa Relazione Ella reſterà ſincerata del ſito di Resína, che Plinio giuniore chiama Retína, *che potè eſsere un Vico d' Ercolano famoſo, di cui gl' Itinerarj non ne fan menzione, nè altro Autore: adeſso è un gran Villaggio, pieno di Caſini di queſti Patrizzj, e beneſtanti, oltre l' abitazioni de' Paeſani, ameniſſimo. Viene dunque Resína dopo Napoli diſtante circa miglia cinque; poi ſi uniſce colla Torre del Greco,* Herculaneum *anticamente, con parte di Resína; giacchè il Teatro adeſso ſi trova ove è Resína, e gli Antichi dicono, che in Ercolano era il Tea-*

Teatro dopo la Torre del Greco; a quattro miglia in circa di diſtanza, Pompei, Torre dell' Annunziata, *e dopo Stabie* Caſtell' a Mare, *anche dopo quattro miglia da Pompei; e queſti luoghi ſon tutti alla ſponda del Mare in circolo, che fanno la porzione Orientale del noſtro ameniſſimo Cratere. Le Iſcrizioni, eccetto due, l' ho tutte copiate, e le porto nella mia lunghiſſima, e diſtintiſſima Relazione, e ci fo piccola ſpiega. Non ho tempo adeſso di far copia dell' Iſcrizione moderna apposta alla Statua Equeſtre di Nonio Balbo, fatta da Mons. Baiardi, la manderò in altro ordinario.*

L' Inſcrizione in lode di Venere fu trovata a Cuma; ella è Latina, oſcuriſſima; biſogna aſſicurarſene col vederla, e copiarla eſattamente ſull' originale, e non ſi fidare delle copie: anche il Diſtico Greco da me ſupplito fu là trovato. Adeſso il Re, ſapete? ha cominciato lo Scavamento a Pompei, ed ha trovato tre Camerini bene intonacati, e un bel Quadro dipinto con feſtoni di frutti, una maſchera in mezzo, e alcuni uccelletti intorno a' frutti. Queſto l' ho inteſo da altri, ma non l' ho veduto. Non ho altro deſiderio, che ſervire gli Amici, e tali come è Lei; onde attendo nuovi ſuoi comandi, e mi conſermo.

NOTIZIA XXIII.

Articolo di Lettera ſcritta da un Letterato al medeſimo Raccoglitore di queſte Notizie.

Milano 30. *Aprile* 1748.

MI *ſon rallegrato moltiſſimo nell' udire dalla ſua corteſiſſima lettera, che Ella ſia per infor-*

mare quanto prima il pubblico delle rare, e ſtupende Scoperte di monumenti antichi, che ſi van facendo alla Real Villa di Portici. Noi troppo ſtenteremo, ſe aſpettiamo di avere tali Notizie da' Letterati Napoletani, ai quali è vietato il far queſto; e potrebbero a dir vero eſattamente farlo, ſe foſse in loro libertà. Fin ora ſon ſtato ancor io in deſiderio grande di avere di tutti gli Scavi una eſatta, e ſicura Relazione. Quel poco, che ſin ora ho veduto ſcritto, non troppo ſodisfà; anzi in vece di ſpegnere la noſtra ſete, tanto più l' accende. Ebbi ancor io la ſorte di vedere tre anni ſono quei ſuperbi Monumenti, Statue, Colonne, e Pitture. Fui impedito di trattenermi quanto io voleva ſul luogo; parte per la fretta di un mio Compagno, e parte per eſſere la ſtagione tempeſtoſa, e contraria. Oltre alle Pitture famoſiſſime del Teſeo, e del Chirone, che ammaeſtra Achille, e di molte altre, che non ſi può eſprimere quanto ſiano belle, oſſervai in una muraglia, non poco però danneggiata dal tempo, dipinto, e ſe non m' inganno, l' antico Veredo, *di cui parmi, che da antichi monumenti non ne abbiamo alcun idea, o immagine, corriſpondente al noſtro Caleſſe, o Sedia da lungo Viaggio, o da vettura. Sono al carretto attaccati due cavalli; ſopra l' eſterno cavallo ſiede un uomo, nella ſteſſa guiſa, che i Poſtiglioni d' oggi giorno, alquanto però guaſto dal tempo; dentro al carretto durai gran fatica a riconoſcere ſe vi era figurata qualche perſona a ſedere; ma mi parve vedervela. Dal* Veredo, *adoprato dagli antichi nel corſo pubblico, era diverſo il* Ciſio, *e la* Reda, *come Ella m' inſegna. Oh quanto averei bramato allora di ſaper diſegnare! certo che l' averei potuto ritrarre; e veramente mi ſarei ora fatto onore*

re

re in mandarglielo! Oh Dio, quanto ſtann' eglino a darci in ſtampa intagliati tutti queſti ſuperbi pezzi di Antichità, da cui un mondo di belle coſe ſi poſsono imparare! Io non ne vedo l' ora. Ella faccia preſto con darcene ſicura contezza.

M' immagino, che Ella abbia le Inſcrizioni, che furono già da primo trovate nel Teatro d' Ercolano; pure non voglio mancare di preſentarle queſte a me comunicate, mentre io mi tratteneva in Napoli, da un Perſonaggio di rango, perchè Ella le confronti colle ſue,

Nel Teatro furono trovate molte ſtatue sì di bronzo, che di marmo: Ad una di marmo aſsai bella, era poſto queſto titolo:

L . ANNIO L . F . MEN
II VIR . ITER . QVIN
. . . . VIR . EPVLONVM

A un altra parimente di marmo il ſeguente.

M . CALATORIO L . . .
MEN . RVFO . FRAT . . .

Nella baſe di un' altra Statua era così ſcritto:

M . NONIO . M . F . BALBO
PR . PRO . COS
D. D.

Sotto un altra Statua, trovata coll' altra ſopraſcritta nel Teatro d' Ercolano, era inciſa la ſeguente:

M . NONIO . M . F . BALBO
PATRI
D. D.

Sotto un altra di Donna.

VICIARIAE . A . F . ARCHADI
MATRI BALBI
D. D.

Queſto è quanto mi trovo da poterle comunicare, e gradiſca il mio buon animo. Lavori pure di genio ſopra queſta miniera ricchiſſima di erudite cognizioni, che a Lei ne averemo tutta l' obbligazione; e rattificandole il mio coſtantiſſimo oſsequio. mi raſsegno.

§. XI.

§. XI. *Primae egeſtiones prope Regiam Villam, cui a Porticibus nomen, quando factae. Herculis Simulacrum marmoreum, & Templi reliquiae inventae. Inſignis baſis marmorea ornata inſertis litteris aheneis nomine Appii Pulchri, Caii filii, ibidem inventa. Coniicitur Herculis Templum eo in loco conditum fuiſſe.*

BEne ac ſapienter ſcribit Eminentiſſimus Cardinalis Bibliothecarius QVIRINVS, in fine Epiſtolae ſuae ad Cl. Profeſſorem Mathiam Geſnerum: *idoneis iam teſtibus conſtare, Herculaneum ex Veſuvii reiectamentis erutum, Antiquitati, Hiſtoriae, Architecturae, litteris omnibus profuturum*. Proderit, ut arbitror, quum tam ingens veteris Mythologiae theſaurus ſit inventus, Theologo Flor. Praeſtantiſſimo P. Raymundo Adamio ex Ordine Servorum B. M. V. in Piſano Lyceo Profeſſori meritiſſimo, qui eximium opus, de quo mecum nuper diſſerebat, meditatur, de occulta Sapientum Ethnicorum in Deorum cultu Theologia: proderit etiam dubio procul Doctiſſimo Marchioni Ioannis Poleno, a quo totum Vitruvianum opus caſtigatum illuſtratumque ſperamus, quum in his Herculanenſibus ruinis, ut vidimus, picturae inventae ſint omnium rariſſimae, quae multa aedificia exhibent, & Architectonica opera atque ornamenta. Nuntiatum eſt mihi a viro docto, qui Neapoli fuit, & omnia accurate vidit, ac deſcripſit, in primis Herculanei eruderationibus, dum Rex adeſſet, & opus urgeret, inventam fuiſſe thecam, in qua repoſitae complures lamellae ex argento, quae characteribus ſive notis quibuſdam erant inſculptae,

quam

quam Rex ſtatim accepit, ſecum tulit, & in ſuis ſcriniis recondidit. Aliam huiuſmodi thecam Melitae inventam cum lumella aurea, in qua ſculpta ſpectantur Aegyptiorum Numina, & characteres Aegyptii, prolata eſt in Epiſtolis memorabilibus Cl. Antonii Bulifonii in Volumine edito anno 1697. pag. 117. quam vide.

Sed in praecipuis Herculanenſium Antiquitatibus exponendis, ut aliquem ordinem ſervem, incipiam a prima NOTITIA ſuperius edita n. I. pag. 39. quae continet quidquid primum actum eſt anno MDCCXI. in eruendis Herculanenſium Antiquitatibus. Id nobis teſtatum voluit Ioſeph de Stendardo, egregius Architectus Neapolitanus; qui relicta Neapoli Florentiam convolavit, & ad nos venit ante annum MDCCXL. Is rogante V. C. Bindo Simone Perutio, Academico Etruſco, & Societatis Columbariae Florentinae Socio, hanc ipſam Deſcriptionem non ſolum ei dedit, ſed iisdem conceptis verbis eidem ſcribenti dictavit; paullo vero poſt idem Perutius mecum, perhumaniter ut ſolet, communicavit, ſequenti nempe anno, ut in fine adnotavi. Conſtat igitur primum auſpice, & iubente Celſiſſimo Principe D. Emmanuele Mauritio D'ELBOEUF, curam agente eodem Ioſepho de Stendardo Architecto, prope littus maris in viciniis Regiae Villae, cui a Porticibus nomen eſt, dum puteus altius effoderetur, inventa primum fuiſſe varia nobilium marmorum antiquorum fragmenta, defoſsumque poſt haec marmoreum Herculis ſimulacrum, Graeci Sculptoris opus; quod tamen iam antiquitus inſtauratum cernebatur. Egeſta humo, paucos poſt dies, inventa ſunt marmorea complurium Dearum ſimulacra, & columnae. Dum egeſtiones aliae mox fierent, inventum quoque eſt quadratum marmor,

ſive

ſive baſis; qua perpurgata, expolitaque, detectae ſunt grandiores litterae aheneae, eidem marmoreae baſi inſertae, quae haec ferebant:

APPIVS PVLCHER

CAII FILIVS

Marmoream hanc baſim ſubiectam crediderim Statuae eiusdem Appii Pulchri, facile vel conditoris, vel inſtauratoris, Templi Herculis. Neque abſurdum eſt, quod eius quoque Statua in eodem Templo ſteterit, quum ex luculentiſſimo Figrelii Commentario de Statuis illuſtrium Romanorum, id in more poſitum fuiſse conſtet, ut in Templis Statuae quoque illuſtrium Virorum ponerentur. Si quis vero votivo alicui donario Appii Pulchri in honorem Herculis, ſubiectam hanc epigraphem velit, non repugnabo. Ex dignitate adlatae inſcriptionis, cuius litterae aheneae marmori inſertae erant, intelligi poteſt quanta fuerit huiuſmodi Templi Herculanenſium dignitas, & magnificentia. Huiuſmodi decus, permitti ſolitum donariis Deorum, & nobiliſſimis Romanorum tantum, & Magiſtratibus, diſci poteſt ex Maſſurio Sabino apud Macrobium Saturn. Lib. III. Cap. 6. *Marcus Octavius Herennius prima adoleſcentia tibicen, poſtquam artis diſtiſus ſuae eſt, inſtituit mercaturam, & bene re geſta, decimam Herculi profanavit. Poſtea, quum navigans hoc idem ageret, a praedonibus circumventus, fortiſsime repugnavit, & victor receſsit. Hunc in ſomnis Hercules docuit ſua opera ſervatum: cui Octavius, impetrato a Ma-*

Magiſtratibus loco , aedem ſacravit , & ſignum , Victoremque LITTERIS INCISIS *adpellavit . Dedit ergo epitheton Deo , quo & argumentum veterum Victoriarum Herculis , & commemoratio novae hiſtoriae , quae recenti Romano Sacro cauſam dedit , contineretur* . Operum igitur magnificentiam omni dubio procul declarant litterae ex aere Corinthio in titulis illuſtrium Virorum inſertae , quemadmodum in hac baſi , quae Appii Pulchri Caii filii nomen praefert . Ut id declarem eximiis exemplis , quae nunc menti meae occurrunt , ſpectare ſufficiat Arcum triumphalem Imperatori L. Septimio Severo , & filio eius M. Aurelio Antonino Pio erectum , grande Romanae magnificentiae poſt tot ſaecula adhuc ſuperſtes monumentum ad rudices Clivi Capitolini , qua itur ad Forum , in quo quadringenta ſupra triginta tres litterae in marmore primum inciſae , & excavatae , & deinde aere Corinthio faberrime repletae , memorantur ; indicanturque a Famiano Nardinio in ſua Roma Veteri Lib. v. Cap. vi. & a Cl. Fontaninio Archiepiſcopo Ancyrano Lib. i. Cap. iii. de Antiquitatibus Hortae .

Alia de hoc titulorum honore , litteris ex aere in marmoribus inſertis , exempla mihi non occurrunt ; de quibus etiam inferius ſermo rurſum inſtituetur . Equidem non deſunt apud Florentinos ſimilia exempla : nam in Sepulcris Principum Mediceae Domus Auguſtae in magnificentiſſimo eorum Sacello litterae titulorum ex nitido albo Chalcedonio fabrefactae in regiis Officinis Florentinis marmori porphyretico incluſae ſunt . Ex aere quoque viſuntur litterae in titulo Sepulcri Magni Coſmae Medicis , Patris Patriae , in Baſilica Laurentiana . In aliis quoque Vrbis huius Templis tumuli e marmore

more in pavimentis locati, litteras, & inſignia Virorum illuſtrium praeferunt ex aere, vel e nigro lapide in Tabulis marmoreis intercluſa, & inſerta: interdum etiam litterae inciſae inauratae ſunt; praeſertim ſi buſta conſtent e nigro marmore, vulgo *paragone*: quae decora magnorum Virorum merita, & virtutes teſtantur.

Quod vero Templum hoc plane magnificum, marmoreis columnis ſuffultum, praenobili pavimento ſtratum, & quidem figura rotundum, Herculi probabiliter ſacratum fuerit, colligi poteſt ex ſimulacro Herculis marmoreo, ſuperius memorato, quod ibidem, dum puteus altius foderetur, inventum eſt, ut ſupra ex eodem Auctore adnotavimus. Inſuper coniicere poſſumus idem ſplendidum Templum Herculi ſacratum fuiſſe ex eius figura; nam rotunda etiam fuit Herculis aedes Romae in Foro Boario; de qua Plinius Lib. XXXIV. Cap. VII. Fuit etiam in eodem Foro aedes, atque ſignum Herculis Triumphalis, quod docet inſcriptio ibidem inventa inter Gudianas edita pag. XXXIV. Iulius Caeſar Capaccius in ſuis Dialogis, quibus titulum fecit *il Foreſtiero*, *Giornata* X. *pag.* 1014. memorat aetate ſua inveniri tot ſtatuas, inſcriptos lapides, loca hypogaea, & ſigna & protomas Herculis in ruderibus Herculaneis, ut credibile ſit Herculem praecipuum Numen Herculanenſium fuiſſe. Vtinam hoc loci aliae telluris egeſtiones accuratius factae fuiſſent! ex his facile erui potuiſſent veſtigia & rudera vel Gymnaſii, vel Thermarum, quae aedificia non longe a templo Herculis condi a veteribus plerumque ſolebant.

Ea quae idem Architectus ſubdit, non pauca fabulis quibusdam nituntur. Simulacra illa circa templum diſpoſita, facilius referre crediderim Muſas,

&

& alias Deas, quas Herculi ſociavit vetuſtas, inter quas eſt etiam Iuno, Victoria, Minerva, Iole, Omphale, Hebe: quod probare poſſem, ſi ad alia non properarem. Puto etiam pro Hygia Dea Salutis, quae ſerpentem praefert manu, Architectum ſibi Cleopatram conſinxiſſe, Elegantiores ex his Statuas, e Pario marmore, iniuria temporum minus laeſas, idem Princeps D'ELBOEUF ſtatim dono miſit Incluto Principi EVGENIO; reliquas apud ſe retinuit: vivuntque periti rerum antiquarum Viri, qui dum Principem ruſticantem iuviſerent, reliquas Statuas, earumdemque magnam fragmentorum congeriem, ibidem ſe vidiſſe adſirmant, & mihi haec ſumma fide narrarunt.

§. XII. *Inventa baſis in ruinis Templi Herculanenſium, inſcripta nomine Appii Pulchri, Caii F. elucidatur. Clarum apud Neapolitanos eiusdem Appii Pulchri nomen, ex alio antiquo marmore Neapolitano colligitur. Error eorum, qui Retinam ſub Miſeno, cum Retina, ſive Reſina, pago Herculanenſium, male confundunt.*

DE Appio Pulchro, Caii filio, nonnulla nunc praenotanda breviter videntur. Hunc Glandorpius in Onomaſtico Hiſtoriae Romanae pag. mihi 226. eum eſſe putat, quem Cicero de Off. II. & in Verrem VI. Appii filium vocat, & ſplendida aedilitate perfunctum ſcribit. Conſul fuit anno Vrbis conditae DCLXXII. Praetor etiam fuit, eiusdemque meminit idem Cicero in Verrem IV. Meminit quoque in Oratione pro Domo ſua: item

item in Oratione pro Plancio, ubi virum potentiſſimum nominat. Plinius Lib. VIII. Cap. VII. tradit, illum M. Antonio & Poſtumio Coss. Aedilem fuiſſe, & primum omnium pugnam elephantorum in Circo edidiſſe. Praeclaris muneribus apud Neapolitanos functum dubitari non poteſt; & haud aegre crediderim, Proconſulari dignitate. Exſtat Neapoli effoſſum marmor, quod in Theſauro Muratoriano adfertur pag. DCLXXV. num. 2. exſcriptum a Cl. Ioh. Ioſepho Ramagginio, in quo dicitur SEPTEMVIR EPVLONVM. Ex his colligimus, quam ſimile vero ſit eumdem Appium Pulchrum, Caii filium, omni cultu vel condidiſſe, vel inſtauraſse Templum hoc Herculi ſacrum apud Herculanenſes: vel etiam ſplendidiſſimum Donarium eidem dedicaſſe; & adpoſita ſumptuoſa, & magnifica, litteris ex aere auratis, Inſcriptione, exſtare voluiſse ſuae liberalitatis & cultus monumentum. Ea memorata Muratoriana Inſcriptio pag. DCLXX. 3. ita ſe habet, omiſſis tribus ſiglis in ſecunda linea, quarum ſignificatio obſcura eſt, & incerta:

APPIVS PVLCHER CAII FILIVS

. . . . . . SEPTEMVIR EPVLONVM

Rem nobis oppido gratam feciſset idem Architectus Stendardo, ſi inſigniora quaedam monumenta ipſe delineaſset, vel delineanda curaſset, & ipſe Templi huiuſce Ichnographicam Tabulam menſuris omnibus inſtructam, dum ad nos venit, detuliſset. Profecto quod haec nobis innotuerint, & nunc op-

opportune ad rem noſtram faciant, referenda gratia eſt Cl. Perutio, & eidem Architecto, qui praeterito anno MDCCXLVII. Florentiae obiit, poſt diuturnam annorum ſeptem ſupra decem Florentiae moram, & domicilium, honorifico in loco in Eccleſia Parochiali S. Felicitatis ſepultus.

Illud praemonendum ſupereſt, eos valde hallucinari, qui Retinam vicum (ſi fuit) ſub Miſeno, cum Herculaneo urbe perperam confundunt; nec ſemel exteros homines eruditos, qui Italiae urbes perluſtrant, Neapoli revertentes, dum Florentiae eſsent, & mecum loquerentur, audivi, ſe vidiſse ingentia aedificia, & eorum conclavia antea terra obruta, nunc feliciter eruta, & pluribus egeſtionibus iam reddita vacua adiiſse, & inde Retinam eſse deſignaſse, cuius mentionem facit Plinius Secundus in Epiſtola XVI. Lib. VI. in qua Cornelio Tacito hiſtorias ſcripturo, petentique obitum, & exitium avunculi ſui Plinii, cauſam eius altius repetit, & Veſuvii maximum omnium incendium, eructationem horribilem, crebros, vaſtoſque terrae tremores, & ingentia damna finitimorum locorum deſcribit. Pauca haec ad rem noſtram praeferre lubet: *Erat* [Plinius] *Miſeni, claſſemque imperio praeſens regebat. Nonum Calend. Septembris, hora fere ſeptima, mater mea indicat ei, apparere nubem inuſitata & magnitudine, & ſpecie. Vſus ille Sole, mox frigida, guſtaverat iacens, ſtudebatque: poſcit ſoleas, aſcendit locum, ex quo maxime miraculum illud conſpici poterat. Nubes (incertum procul intuentibus ex quo monte, Veſuvium fuiſſe poſtea cognitum eſt) oriebatur, cuius ſimilitudinem & formam, non alia magis arbor, quam pinus expreſſerit. Nam longiſſimo velut trun-*

trunco elata in altum, quibusdam ramis diffundebatur; credo quia recenti ſpiritu evecta, dein ſeneſcente eo deſtituta, aut etiam pondere ſuo victa, in latitudinem evaneſcebat: candida interdum, interdum ſordida & maculoſa, prout terram cineremve ſuſtulerat. Magnum propiuſque noſcendum, ut eruditiſſimo viro, viſum. Iubet liburnicam aptari: mihi, ſi venire una vellem, fecit copiam. Reſpondi, ſtudere me malle: & forte ipſe, quod ſcriberem, dederat. Egreditur domo, accipit codicillos; Retinae *claſſiarii imminenti periculo exterriti (nam villa ea ſubiacebat, nec ulla niſi navibus fuga) ut ſe tanto diſcrimini eriperet, orabant. Vertit ille conſilium, & quod ſtudioſo animo incohaverat, obit maximo. Deducit quadriremes, aſcenditque non* Retinae *modo, ſed multis (erat enim frequens amoenitas orae) laturus auxilium.* Primum illud animadvertendum, ubi ſcriptum eſt *Retinae claſſiarii*, &c. *nam villa ea:* mirum in modum variare Codicum antiquorum lectiones corruptas, teſte Cl. Vir. Gottlieb Cortio in noviſſima eius inſigni, & Praeſtantiſſimi Paulli Danielis Longolii, editione Amſtelaedamenſi 1734. ad quam Lectorem mitto. Mirum quot errores ex imperito vulgo frequenter naſcantur, in quos exteri homines, ſi celerrime iter ſuum inſtituant per loca, facile labuntur, & reverſi in patriam ſuam, res aliter ac ſint narrant: quod ſi confirmare vellem, ſexcenta mihi exempla errorum Itinerantium eruditorum ſuppeterent, quos refellerem, & mera eos mendacia & ſomnia interdum captaſse, perſpicue docere poſsem. Norunt etiam viri docti, quam male multis in locis corrupta, quibuſve mendis, & maculis referta ſit antiqua Geograhia, perperam etiam exagitata ab Eruditis. --

Cluverius Ital. Antiq. Lib. iv. Cap. iiI. de hac Retina ſub Miſeno omnino ſilet; quare hinc intelligere eſt, eum Plinii Codices, utpote his in locis corruptos, probe conſideraſse. Cellarius Geogr. ant. Lib. iI. Cap. ix. pag. 834. inter Villas Retinam recenſet, proxime ſub Miſeno, Veſuvium verſus, poſitam. Sed donec clariora innoteſcant, ſtandum videtur fidei, & auctoritati Cluverii, qui totam Campaniam perluſtravit, & haec loca ipſe inſpexit, & accurate emenſus eſt; qui aliam Retinam (vulgo nunc *Resína*) non commemorat niſi illam Herculaneo proximam. Igitur emendata Itineraria Tabula, quam ſupra adtuli pag. 14. ubi pro *Herculaneum* xi. reponendum eſt vi. Herculaneum a Neapoli diſtare adſerit milliaribus ſex tantum; cuius ipſiſſima verba adferre minime ſupervacaneum duco: *Medium itineris ſtatuunt Neapolitani ad vicum, cui vulgarem adpellationem eſse dixi* Torre di Greco: *ipſi vero huius loci incolae hinc Neapolim computant per unum atque alterum intervallum millia* vi. *cum duobus tertiis. At ego revera iuſta millia* vi. *intervallum id obtinere deprehendi*; *ſcilicet duo a Neapoli ad ſupradictum locum* San Giovanni di Teduccio; *hinc* iiI. *exigua ad* RESINAM *vicum*; *inde unum ſatis magnum ad* Torre di Greco, *hoc eſt* Herculaneum.

Sed hae difficultates, ut ſperamus, tollentur, ſi Cl. Baiardius (quod haud praetereundum videtur) dabit horum locorum, & totius Crateris, accuratiſſimam mappam Chorographicam, in qua verus Herculanei ſitus ſtatuatur, & vicinae Urbes, quae ſepultae pariter ſunt, Pompeii, & Stabiae, & reliquae indicentur. Dum haec ſcribo accipio Eminentiſſimi Principis Purpurati QUIRINI Epiſtolam huma-

maniſſimam, Brixiae ab eo ſcriptam Pridie Nonas April. hoc ipſo anno, qua me hortatur, ut Admiranda Antiquitatum Herculanenſium illuſtrem, & propediem in lucem mittam; atque, ut ſtimulos addat, antequam in manus omnium Litteratorum eat, mittit ſollicite Epiſtolam ſuam Brixiae excuſam die XVI. Martii, hoc ipſo anno, inſcriptam ad Virum Clariſſimum Ioannem Mathiam Geſnerum Publ. Goettingenſem Profeſſorem; in qua, explanata prius antiqua Inſcriptione Equeſtris Statuae M. Nonii Balbi, interſerit Narrationem quamdam Herculanenſium Monumentorum, quae iam eruta ſunt, ut videtur, ab aliquo Neapolitano Litterato exaratam currenti calamo; cuius fronti hic titulus ab eo impoſitus: RELAZIONE *del Cavamento, che ſi fa nel Villaggio di Reſina per ordine del Re delle due Sicilie*; ſed quum multa idem Narrator excitet dubia, negetque in loco, qui nunc vulgo dicitur *Torre del Greco*, olim ſitum fuiſſe Herculaneum, & Cluverii oculares obſervationes ſuggillet, cunctandum cenſeo, dum res in maiori luce reſtituantur. Illud certiſſimum eſt vicum hunc *Reſinam* longe diverſum eſſe a pago, ſeu vico *Retinae* ſub Miſeno (qui ibi non fuit) cuius meminit Plinius.

Conſtat ex Dionyſio Halicarnaſſenſi Antiquitat. Roman. Lib. I. Herculaneum inter Pompeios, & Neapolim ſitum, habuiſse portum, & ſtationem claſſis, adeoque cum hoc vico confuſum Retinae vicum ſub Miſeno; ita enim inquit: Ἡρακλῆς δὲ ἐπειδὴ τά τε κατὰ τὴν Ἰταλίαν ἅπαντα, ὡς ἐβούλετο, κατεστήσατο, καὶ ὁ ναυτικὸς στρατὸς αὐτῷ στρατὸς σῶος ἐξ Ἰβηρίας ἀφικέτο, θύσας τοῖς Θεοῖς τὰς δεκάτας τῶν λαφύρων, καὶ πόλικνην ἐπώνυμον αὐ-

αὐτοῦ κτίσας, ἔνθα ὁ στόλος αὐτῷ ἐναυλοχεῖτο, ἣ καὶ νῦν ὑπὸ Ῥωμαίων οἰκουμένη, καὶ Πομπηΐας ἐν μέσω κειμένη Νεαπόλεώς τε, λιμένας ἐν παντὶ καιρῷ βεβαίους ἔχουσα -- ἀπῆρεν εἰς Σικελίαν. Hoc eſt: *Hercules, compoſitis ex animi ſententia rebus Italicis, & recepto incolumi ex Hiſpania exercitu navali, ac decimis ſpoliorum in Deorum ſacrificia impenſis: oppidulo item de ſuo nomine condito, ubi claſſis eius ſtationem habebat; quod nunc etiam a Romanis habitatur, inter Pompeios & Neapolim, tutos omni tempore portus habens -- traiecit in Siciliam.* Perſpicuum igitur eſt, quo in loco oppidum Herculaneum ſitum fuerit; nec dubitandum ab Hercule conditum, cui a ſuo nomine adpellationem, ut antiqui Urbium conditores ſolebant, adtribuit. Poſtquam hinc ex portu Hercules in Siciliam traiecit, coniicio ex hiſce detectis antiqui Templi reliquiis, in eius honorem Templum dedicatum fuiſſe, atque in eo ſimulacrum eius dedicatum, quod pariter ibidem, ut docet Stendardiana Deſcriptio, inventum eſt.

Pompeios quoque (hos nunc eſſe oppidulum *Scafati* liquido oſtendit Cluverius) Hercules condidit, quod adnoto, ut clarius conſtet de antiquitate cultus huius Numinis in tota Campania. En Solini Cap. VIII. teſtimonium: *Quis ignorat, conditos ab Hercule in Campania* POMPEIOS; *qua victor ex Hiſpania pompam boum duxerat?* A Puteolanis quoque multa religione cultum Herculem, quem *Celerem* cognominarunt, docet marmor Puteolis erutum, quod ex Schedis Barberinis profert Fabrettus Inſcript. Domeſt. Cap. IX. pag. 601. num. 21. & viri, qui pecunia ſua eius

ſignum

ſignum poſuerunt, recenſentur, dato Colonis epulo, quum eſſent Puteolanae Coloniae Duumviri Quinquennales *C. Afranius Tuſcus*, *& L. Voconius Flav.* forte *Flavianus*. Liquet igitur ex his aliiſque Monumentis, quae apud Gruterum, alioſque Antiquarios colligere poſſem, ſi otio abundarem, religioſe his in locis antiquitus cultum Herculem, ſignis, altaribus, & ſacris Templis honoratum, ne quis dicat me ex ſola pagorum, viarumque adpellatione ex nomine Herculis, eius cultum in tota Campania celebrem, ac frequentem ſtatuiſſe. De Hercule Surrentino plura habes apud Statium in Silva, quam ab eo nominat. Ovidius Herculaneum, metri cauſa *Herculeam Urbem* vocat, Metamorphoſ. Lib. xv. verſ. 711.

§. XIII. HERCULANEI *Oppidi, & Municipii Status: a quo Colonia Romanorum factum: qui Magiſtratus eius fuerint, declaratur. Annia Familia in tota Campania valde illuſtris.*

ANte bellum ſociale, qui fuerit HERCULANEI ſtatus, qui cives & incolae, quaſve viciſſitudines paſſum ſit, diſerte docet Strabo Lib. v. pag. 247. cuius teſtimonium adduximus ſuperius in §. IV. pag. 10. Poſtquam vero Herculaneum ſimul cum T. Didio captum eſt a Minatio Magio, teſte Velleio Lib. II. Cap. XVI. circa annum V. C. DCLXIII., ante C. N. XC. & Romanorum imperio ſubiectum, talis eius ſtatus fuiſſe videtur, qualis aliorum Municipiorum, & Coloniarum in tota Campania. Ex monumentis ad hoc tempus editis, mihi non conſtat quando a Ro-

manis deducta Colonia fuerit. Inter Colonias non recenſetur a Frontino, qui tamen memorat Nuceriam & Puteolos ab Auguſto deductas Colonias, & Nolam a Veſpaſiano. Herculanenſium Rempublicam non inferioris conditionis fuiſſe reliquis illis Puteolanorum, Pompeiorum, Canuſinorum, aliiſque Campaniae, Apuliae, & Calabrie urbibus, credibile eſt. Reineſius, antiquorum lapidum ſummus Interpres, tria monumenta ſcripta, in ruinis Herculanenſibus inventa adfert in Claſſe II. num. XXIX. & in Claſſe VII. num. XIII. & XV. in quibus Municipium clariſſime adpellatur.

Sed, ut vidimus ex adlatis Notitiis, Herculaneum Romanorum Coloniam factam docti viri cenſent; quorum ſententiam haud improbandam reor. Verum in rebus tam obſcuris, ſi venia datur permittiturque, ut deſtituti luce, ac praeſidio Scriptorum, & Marmorum antiquorum, probabilibus ſaltem conjecturis innitamur, haud improbabile crediderim, quemadmodum & Puteolos, & Cumas, & Nuceriam, ab Auguſto forſitan Herculaneum Coloniam deductum; nam ex iisdem Notitiis ſuperius editis habemus in Theatri ruinis inventas Statuas Tiberii aliorumque Principum Domus Auguſtae, de quibus infra differemus. Tribui tutius poteſt Imperatori Caeſari Neroni deductio Coloniae Herculanei; nam eius ſtatua ex aere inventa eſt inter rudera Theatri Herculanenſis, & quidem coloſſalis, quae ipſum Imperatorem repraeſentabat ſpecie Iovis, armata fulminibus dextra manu, ut exhibet Notitia XX. pag. 87. Nero Neapoli fuit, & Gymnaſium ingreſſus, certantes Athletas effuſiſſimo ſtudio ſpectavit, & ipſe canens ſpectatus eſt, ut narrat Suetonius; ex quo etiam auctore, quum ſciamus Tiberium Auguſtum Campaniam peragraſſe,

ſe, & Nolae Templum Auguſti dedicaſſe, & apud Capreas ſeceſſum ſuum ſtatuiſſe; non repugnabo, ſi quis eum Coloniae Herculanenſis auctorem eſſe exiſtimet. Idem quoque ſuſpicari maiori ratione poſſumus de Flavio, & Tito Veſpaſianis, quorum ſtatuae cum titulis inventae ſunt inter rudera Theatri Herculanenſis; a quibus credibile etiam eſt Herculanenſes multo honores & privilegia conſecutos eſſe; quae omnia alii, ut ſpero, accuratius expendent, eorumque iudicium optimis ſuffultum rationibus amplectar, quum in praeſentiarum nihil definiam, ſed tantum probabiles coniecturas proponam. Verum quamvis Municipia Coloniarum iura & leges acciperent, ſuas tamen patrias retinebant, & Municipiorum nomen, & decus ſervabant; quod ex priſcis ſcriptis marmoribus exploratum eſt: nec aliis obſervationibus res indiget, ut illuſtretur, praeſertim hac tam docta aetate.

Haec quia adſtruimus ex marmoribus ſcriptis, erutis e Theatri Herculanenſis ruinis, conſentaneum videtur, ut heic rurſus ob oculos ea ſubiiciatur epigraphe in plures lineas diſpoſita, ut paginae huius ſpatiis inſerviamus.

In magno marmoreo epiſtylio.

.... F . MAMMI .... RVFVS . IIVIR .

QVN . TEAT . ORCH.........

DE SVO

Hiſce ſcriptis marmoribus reliquorum monumentorum Herculanenſium, quae mox inventa ſunt epocha tribuenda, ſcrutante, & diligentem curam agente Clariſs. Marchione & Equite Venuto.

In alio ſimili marmoreo epiſtylio.

L . ANNIVS . L . F . MAMMIANVS . RVFVS .

IIVIR . QVINQ . THEATR . O.......

P . NVMISIVS . ARC... TEC...

Nexus litterarum non exhibentur, typothetarum, ut arbitror, culpa, in Muratoriani Theſauri Appendice Pag. MMXXI. n. I. & quae priore in loco adlata eſt Inſcriptio magis integra in fine apud eum adfertur in hunc modum:

A..... MAMMI.... RVFVS . IIVIR . QVIN

THEATR . ORCH....

Sed & in ſecunda linea deeſt DE SVO. Altera vero Inſcriptio, quae ſubiungitur, manca ibidem eſt; nam deeſt integra ſecunda linea, quae nomen Architecti ita exhibet: P . NVMISIVS . ARC... TEC...

Auctoritate horum marmorum, quae Theatrum ornabant, quum in eis memoretur L. Annius Mammianus Rufus Duumvir Herculanenſium, qui civibus magnificum Theatrum & Orcheſtram ſuis ſumtibus exſtruxit; iam ex hoc tantum inſigni monumento intelligimus, Magiſtratus Herculanenſium eoſdem fuiſſe, qui in aliis Municipiis & Coloniis ſumma cum auctoritate publicis civilibus ſacriſque rebus praeeſſe ſolebant; adeoque Herculaneum Duumviros primum habuiſſe: poſtmodum eos, qui ad annos quinque prolato munere, Duumviri Quinquennales adpellati ſunt. His adde Decuriones, Cenſores, Aediles, Quaeſtores, Curatores ſacro-

rum,

rum, iisdemque praefectos, Pontifices, Sacerdotes, Aedituos, & Auguſtales.

Inventa quoque eſt inter rudera eiuſdem Theatri marmorea Statua dedicata in honorem L. Annii (neſcio an is idem ſit, qui in adlatis ſupra ſaxis memoratur, quum deſint cognomen & adgnomen) in cujus baſi haec ſcripta legebantur: edita etiam in Muratoriano Theſauro pag. MMXXI. num. 1.

L . ANNIO . L . F . MEN

IIVIR . ITER . QVIN

....VIR EPVLONVM

Sed de hiſce honorariis titulis, & Statuis nonnulla mox adferentur. Nunc obſervare licet hunc L. Annium Menenia Tribu cenſum fuiſſe, & Duumviratus honorem, elapſo quinquennio, iterum in alterum quinquenniu m ſuſcepiſſe; adeoque perſpicuum eſt propter eximia eius in rem publicam merita, & ſingularem in Herculanenſes benevolentiam, ac plurima in eos conlata beneficia, Statuae decus in Theatro ipſo, quod etiam, ut ſubſpicor, ſuis ſumtibus vel exſtruxit, vel ornavit, conſecutum fuiſſe.

De Patronis Herculanenſium mihi ad hoc tempus non conſtat; ſed ſi Pompeiani Patronum habuere, ut tradit Cicero in Orat. pro Sulla; Herculanenſes quoque his non caruiſſe, nullus dubito: *Primum omnis Pompeianorum Colonorumque diſſenſio delata ad Patronos eſt, cum iam inveteraſſet, ac multos annos eſſet excogitata; deinde ita a Patronis res cognita eſt, ut nulla in re a ceterorum ſententiis diſceſſerit*. His adde & Patronos Honorarios.

Quod vero adtinet ad Magiſtratus Herculanenſium,

etſi

etſi de his dubitare nemo poſſit, liceat maioris adſtruendae lucis gratia exemplum Pompeianorum adferre; quandoquidem Pompeiani, Stabiani, & Herculanenſes eamdem ruinam paſſi ſunt, deſederuntque ſub terra eorum urbes terremotibus, & Veſuvii eructationibus devaſtatae; & eo quidem magis, quod tempore Plinii Hiſtorici Pompeii urbs Municipium erat. En eiuſdem Plinii verba Hiſt. Nat. Lib. 1I. Cap. 52. *In Catilinanis prodigiis, Pompeiano ex municipio, M. Herennius Decurio ſereno die fulmine ictus eſt.* Quae quum ita ſint, eorumdem Pompeianorum vicinorum exemplo puto & Herculanenſe Municipium Decuriones habuiſſe, ac proinde Duumviros, & reliquos Municipales Magiſtratus, qui frequentiſſime in marmoribus antiquis, ad ea Municipia & Colonias ſpectantibus, ut exploratum eſt, recenſentur.

Quoniam vero in adlatis ſuperius marmoribus L. Annius Mammianus Rufus, ut paullo ante dicebam, nominatur, qui ſuis ſumtibus Theatrum & Orcheſtram Herculanenſibus exſtruxit, qui Duumvir Quinquennalis fuit, de hoc Municipali munere nonnulla haud abs re erit praenotare, quae ex antiquis cum Scriptoribus, tum lapidibus eruuntur. Maxima plane fuit Duumvirum in Municipiis, & Coloniis auctoritas: praeerant enim Reipublicae conſilio, auctoritate, prudentia, quemadmodum Conſules Romae; quare non raro etiam in priſcis ſaxis Conſules dicuntur. Duumviri Capuae adpellari ſe Praetores volebant, teſte Cicerone in Agrariis, quos Lictores non cum bacillis, ſed ut Romae Praetores, cum faſcibus praeibant, ut idem Cicero in Oratione in Rullum adfirmat.

Duumviri convocabant Senatores, nempe Decuriones, in Curiam, ipſiſque praeerant, & leges ſancien-

cien-

ciendas praeſcribebant. Exploratum eſt quantopere gloriatus ſit Hadrianus Auguſtus obtento geſtoque in Municipiis & Coloniis Duumviratu. Spartianus Lib. VII. Cap. 15. *Hadrianus in Etruria Praeturam Imperator egit. Per Latina oppida Dictator, & Aedilis & II. Vir fuit. Apud Neapolim Demarchus, in patria ſua Quinquennalis, & item Hadriae Quinquennalis, quaſi in alia patria, & Athenis Archon fuit.* Toga praetexta inter Duumviralia ornamenta recenſetur; ſummus quippe fuit hic annuus Magiſtratus, & qui eo ſuffragiis totius Ordinis decorabantur propter merita in rempublicam, acceptiſſimi omnibus erant. Pecuniam ad ornatum publicorum locorum impendebant, largitiones, & epulas dabant, ſpectacula, ſive munus gladiatorium, & ludos Scaenicos populo per aliquot dies praebebant: laudes, adclamationes, ſtatuas, & quamplurima decora pro meritis in praeclaris Urbis locis, atque etiam in Templis conſequebantur.

Quia vero in adlato ſuperius eximio marmore memoratur L. Annius Mammianus Rufus Duumvir Quinquennalis, nemo ſit qui cenſeat diſcrimen aliquod inter Duumviros, & Quinquennales intercedere; nam idem erat cum Duumvirum, tum Duumvirum Quinquennalium munus, eadem auctoritas, eademque poteſtas, & quidem maxima; ius namque dicebant, & leges ferebant, omniaque eorum arbitrio Decuriones gerebant. Duumvirum magiſtratus erat annuus; Quinquennalium vero in annos quinque protractus, ſive ex paucitate eorum civium, qui tanto munere honeſtandi erant; ſive quia rari erant qui ſubire ampliſſimum munus vellent, propter maxima, quae ab ipſis fieri debebant impendia, ut ſingulis ordinibus, & populo ſatisfacerent; nam ob hanc praecipue cauſam

multi

multi a Duumviratus honore ſe excuſabant; quare vel iuſſu Principis, vel Senatusconſulto, populo rogante, Duumviratum iterum ſuſcipiebant, ſive ad quinquennium protrahebant. Interdum expleto quinquennio, iterum Duumviratum ad alium quinquennium ſuſcipere rogabantur; & primum deſignati Duumviri a Decurionibus, mox creati Duumviri, praeclariſſimo munere fungi tenebantur. Ex adlata ſuperius Inſcriptione, ſubiecta ſtatuae marmoreae L. Anni, diſcimus, eum Duumviratus honorem, elapſo quinquennio, iterum in alium quinquennium ſuſcepiſſe.

Nemo vero tanto honore inſigniri poterat, niſi antea ex ordine Decurionum, ſive Senatorum Municipii aut Coloniae fuiſſet; quod ſatis perſpicue oſtendit iam edita Canuſina Tabula, quae nunc in Muſeo Riccardiano Florentiae adſervatur. Ex eadem Tabula, de qua etiam Fabrettus Inſcript. Domeſt. Cap. IX. num. 9. pag. 589. hoc ordine Magiſtratus Municipales Canuſinae Reipublicae recenſentur: primum Duumviri Quinquennales, mox Patroni Clariſſimi Viri, Patroni Equites Romani, Quinquennalicii, Adlecti inter Quinquennales, Duumviralicii, Aedilicii, Quaeſtoricii, Pedani, Praetextati per ſingula ex ordine ſubſellia ſcribuntur.

Ex iisdem ſcriptis marmoribus, Herculanenſium Theatro, & Orcheſtrae praepoſitis, diſcimus etiam Anniam familiam valde nobilem, divitem, & publicae gloriae ſtudioſiſſimam fuiſſe, non ſolum apud Herculanenſes; verum etiam in tota Campania: quod alii lapides perſpicue evincunt. Inter Gudianas Inſcriptiones ab Heſſelio editas, adfertur marmor pag. LXXIII. 9. quod Capuae exſtat in pariete domus publicae ad Forum Iudicum, in quo inter alios viros L. Annius L. F. nominatur, qui mu-

rum

rum & alia quaedam opera facienda curarunt. Exſtat etiam Capuae aliud elogium, quod adfert & illuſtrat egregie Cl. Mazochius Cap. VIII. de Campano Theatro pag. 157. quod iterum exhibeo propter quamdam cum noſtris connexionem.

D . M . S
Q . ANNIO . . IANVARIO
EXACTORI . OPERVM . PVBL
ET . THEATRI . A . FVNDAMENTIS
HVIC . ORDO . DECVRIONVM
OB . MERITA . EIVS . HONOREM
AVGVSTALITATIS
GRATVITVM . DECREVIT .
VIXIT . ANN . LXXI . VIVOS
SIBI . FECIT . . POSTERISQVE
SVORVM

In memorata paullo ante Tabula ahenea Canuſina, Duumviri Quinquennales primum nominantur *M. Antonius Priſcus*, & L. ANNIVS SECVNDVS; & hinc etiam elucet per multos titulos memoreſque faſtos, *Annios* illuſtres, potentes, ac valde nobiles in his Municipiis fuiſſe.

Viguit etiam floruitque Anniorum familia apud Puteolanos, teſte hoc marmore, quod Puteoli exſtare in domo quadam iuxta mare ſcribitur ex Appiano in Gruteriano Theſauro p. DCLXVIII. 6.

IN.

IN . HOC . EPITAPHIO . MACERIA
CINCTUM . ANNIAE . MAXIMI
NAE . ET . ANNIORVM . CELERIONIS
MAXIMINI . ET . CELERINATIS
FILIORVM . EIVS . QVAE . EST
DOMVS . AETERNALIS

Item in altero pag. CCCLVI. I. de quo infra.

Non nego tamen Annos, & in aliis clariſſimis Municipiis & Coloniis, praeſertim Veronae, celebres fuiſſe: ſed illud conſiderandum propoſui, frequentes quoque eorum memorias eſſe in tota Campania. De L. Annio Mammiano Rufo Duumviro Quinquennali Herculanenſium alia nonnulla inferius quoque adnotanda ſuperſunt, quum redibit ſermo de Statuis illuſtrium Virorum, quas Herculanenſes in eorum honorem dedicarunt.

§. XIV. *Herculanenſium reliqua Templa, inter quae Herculis Templum picturis ornatiſſimum, atque eius aheneo ſimulacro, & menſa praenobile; ſigna Deorum, Dearumque nuper inventa recenſentur, & obſervationibus illuſtrantur.*

HErculem ferunt Deorum cultum, toto pene orbe luſtrato, docuiſſe, araſque dedicaſſe. Neque aliud veteres Theologi intelligi voluere, quum in Mythologicis monumentis occurrit Hercules moſtrorum ſtrenuiſſimus domitor, & profligator, quam impios, ac noxios homines, religioni

&

& cultui Deorum adverſantes domuiſſe, necaſſe, vel ad meliorem frugem reduxiſſe. Inſignis eſt Dionyſii Halicarnaſſenſis locus, ſupra adlatus pag. 115. qui memorat ipſum Herculem, compoſitis, ut volebat, rebus Italicis, receptoque incolumi ex Hiſpania exercitu navali, decimas ſpoliorum in Deorum ſacrificia impendiſſe: hiſque pietatis monumentis peractis, Herculaneum oppidulum condidiſſe, atque de ſuo nomine adpellaſſe.

Herculaneum, *Heracleam* vocat celeberrimus Pontanus: in quem cenſorio calamo nimis acriter animadvertit Petrus Laſena Cap. x. ubi diſſerit de antiquo Gymnaſio Neapolitano. Sed quum eius teſtimonium non parum conferat Herculaneo illuſtrando, haud praetereundum cenſeo. Haec enim, quae Neapolitanis accuratius expendenda relinquimus, ipſe habet Lib. VI. de Neapolitano Bello, quae etiam ibidem adfert Laſena: *Tranſiens quoque in Italiam patria HERCVLES, poſt Cacum impotentem hominem in Latio domitum, liberatamque ab eius dominatu regionem, Campani maris oram cum pervagaretur, reliquit monumenta perpetua Avernum ad lacum ſua, perque oram illam omnem, itinere atque aetate feſſos Graecos potiſſimum e ſociis, traditis eis ſedibus, collocavit: quod in Latio item, lociſque, in quibus poſtea Roma crevit, antea fecerat. Reliquit & proxime Neapolim paullo ſupra Palaepolim, qui locus hodie quoque Hercules dicitur, & ultra Neapolim ad Fontes, qui ab illo Herculani ſunt dicti, ibique HERACLEA condita, & ultra Heracleam apud POMPEIOS, quo in loco expoſita ab occaſu Solis, advecta praeda, pompam egiſſe dicitur: qua tempeſtate loca illa omnia erant Graecis ab inhabitatoribus maxime frequentata, & ultra, propter locorum amoenitatem & littoris. Ad vetera*

ra

ra quoque Neapolis moenia, Nolamque ad portam exſtat Sacellum Salvatoris, quod ad Herculis viam dicitur, & in eadem urbis regione Mariae aedicula, quae ad Herculem. Adeo multa Herculis monumenta & intra urbem, & extra etiam permanent.

Quod Pontanum, & alios celeberrimos Antiquitatum illuſtratores Neapolitanos latuit, ex erutis Herculanenſibus monumentis compertum noſtra aetate eſt, ad oram maris fuiſſe eiuſdem Herculis templum ſplendidiſſimum, figura rotundum, compluribus interius exteriuſque columnis marmoreis inſignibus ſuffultum: praenobili marmoreo pavimento ſtratum, multis Numinum ſignis ornatum; in quo etiam inventum eiuſdem Herculis ſimulacrum, docet ſuperius in Not. I. pag. 40. adlata Stendardiana Deſcriptio, quae non imperiti vulgi voce, ſub ocularibus obſervationibus periti hominis nititur, & quae ſuperſunt eodem in loco inventa ſimulacra teſtantur.

Templum alterum praenobile eidem Numini in ipſa urbe conſpicuo in loco dedicatum, cuius inſignes reliquiae prope Theatrum inventae ſunt, modo obſervandum ſupereſt. Inventum ferunt illud menſe Novembri, anno MDCCXXXIX. Deſcribitur paucis quidem, ſed accurate in Not. VIII. pag. 51. 52. & 56. quod idem Marchio Marcellus Venutus, egeſtionibus diligenter peractis, detexit, & primus omnium obſervavit. Quam magnificum, & elegans fuerit, declarant praeſtantium Graecorum Artificum, quibus parietes ornabantur, picturae, quae breviter nunc deſcribendae ſunt, quae quidem cum ipſo Hercule quamdam habent adfinitatem.

In pariete pictus ſumma cum voluptate, & admiratione omnium ſpectatus eſt Theſeus, virtutum Herculis, & gloriae geſtarum ab eo rerum aemulus,

lus, interempto ad pedes ſuos Minotauro, cui tamquam liberatori & victori fortiſſimo Athenienſes virgines, & pueri laetantes gratulantur, perennes referunt gratias, manum oſculantur, & genua ſupplices ampleƈtuntur, vel etiam oſculis ſuaviantur. Theſeus amiculo tantum rubro ex humero defluente, toto corpore nudus exhibetur, clavam manu gerens, quam anulus in digito exornat. Speƈtatur praeterea non longe pulcherrimum Labyrinthi Cretenſis aedificium, e quo, Ariadnae Minois filiae, eximiae pulchritudinis feminae, conſilio & ope ſe Theſeus explicuit, & interempto monſtro, incolumis, ac victor evaſit. Mirabili opificio, ingenio, & ſolertia Graecus Pictor celeberrimus, ac praeſtantiſſimus hanc fabulam vividis floridiſque quammaxime coloribus, nondum vetuſtatis iniuria victis, figuris etiam fere naturalem hominum habitum imitantibus, ita expreſſit, ut nec apud Pauſaniam, nec apud Diodorum Siculum, Philoſtratum, Hyginum alioſve veteris Mythologiae Interpretes, & operum antiquorum deſcriptores, talem picturam, tam eleganti inventione, & figurarum optima diſpoſitione delineatam deſcriptamque inveniam. Eadem picta Tabula non ſolum in Not. vii. ſed etiam in xiv. pag. 62. fuſius deſcribitur, qua dicimus (quod editi veteres Scriptores ſilent) Minervam huic praeclaro Theſei facinori (quemadmodum Herculi in quibusdam aerumnis ſuis) adfuiſſe, & praeſentia ſua robur & opem ei contuliſſe. Quanto etiam ingenio, artiſque conatu eximius Pictor Minotaurum expreſſerit, ex adlata ibidem deſcriptione intelligimus.

Sed de priſca illa Victorum manus oſculandi conſuetudine, perpauca nunc adnotare, abs re minime videtur. Theſeum oſculantur pueri, ac puel-


le, non tam gratulationis, laetitiae & benevolentiae, quam etiam ſubiectionis teſtandae, gratia, utpote Athenienſium regi, civium propugnatori, & liberatori & defenſori ſuo inviсtiſſimo. Manavit hic mos ab Orientalibus; & Geneſeos Cap. XLI. v. 4. habetur, quod *ſuper os Ioſephi omnis populos oſculatus ſit*. Idem mos apud Hebreos invaluit; quin etiam apud eos praeter manum, etiam femur potentiorum oſculo honorarunt, ut eorum vim & potentiam declararent, ut obſervat Martinus de Roa Lib. IV. Singular. Par. I. Cap. IV. Quum vero Regum manus populi oſculantur, non ſolum ſubiectionem, aut demiſſionem ſuam, ſed & eorum dignitatem, magnitudinem, potentiam, virtutem civili cultu teſtantur. Invaluit quoque haec obſequii, & reverentiae ſignificatio apud Graecos, quam luculenter haec ſingularis pictura teſtatur: nec deſunt apud eos alia exempla, quae, nimis longus eſſem, ſi recenſere nunc vellem. Tranſiit idem mos ad Romanos, apud quos, quum Principes ad imperium adſumerentur, quo die inaugurabantur, Senatum, & illuſtres dignitate viros ad oſculum excipiebant, teſte Plinio Secundo in Panegyrico Traiano dicto: *Gratum erat cunctis, quod Senatum oſculo exciperes, ut dimiſſus oſculo fueras*. Minoris autem ordinis homines in Republica, genuflexi ad manus tantum Principis ſoliti erant adcedere, atque oſculo eaſdem venerari: quod vir egregius Martinus Kempius in locupletiſſimo Commentario de Oſculis Diſſert. IX. colligit ex Tacito ita Lib. I. Annal. de Othone loquente: *Ruere cuncti in caſtra, anteire proximos, certare cum praecurrentibus, increpare Galbam, laudare militum iudicium, exoſculari Othonis MANVM; quantoque magis falſa erant, quae fiebant, tanto plus facere*. Apud Tartaros

taros Sacerdotis principis manus Rex tantum oſculatur; nobiles ad oſcula genuum eius admittuntur; reliquis vero plebeiis vix licet calceos exoſculari, ut narrat Wolffangus Frantzius Hiſtor. Animal. Part. I. Cap. xiv. Nec manus tantum & genua inauguratis Imperatoribus, & Principibus; ſed & veſtimenta exoſculata memorantur in monumentis eruditae Antiquitatis: & purpura adorata legitur, quam qui tangebant, omnium erant honoratiſſimi. Sed de his pauca haec ſatis.

In altero eiuſdem Templi pariete miro artificio, floridiſſimis, & adhuc perennantibus coloribus, eximio artis ingenio praeleganter picta Telephi, Herculis filii, educatio ſpectata eſt, ſummo omnium plauſu, maxima peritorum hominum admiratione. Iiſdem verbis, quam a Cl. Marchione Marcello Venuto deſcriptam acceperat, mecum humaniſſime, ut & reliquas, communicavit priſcarum elegantiarum Interpres conſultiſſimus Rodulphinus Venutus, eius germanus frater. Eam habes in Not. viii. pag. 53. & 54. qualem quidem nec apud Pauſaniam, nec apud Philoſtratum, & Diodorum Siculum tam egregie, & loquacibus ipſis delineamentis expreſſam invenies. Sedet femina, capite herbis & floribus redimito, baculum nodis implexum ferruginei coloris tenens: iuxta quam ſiniſtrorſum poſitus calathus, uvis, fructibus variis, & melis granatis refertus. Pone eam ad eius pedes cerva puellum lactans cernitur. Poſt hanc adeſt Faunus fiſtula imparibus cannis canens. Ante feminam illam adſtat vir corpore nudus, cum clava, arcu & pharetra iaculis oppleta. Iuxta hunc in medio huius Tabulae aquila, & leo miti ſpecie ſpectantur. Poſt hunc virum cernitur alia femina ſpicea corona caput ornata, forte Naupliam regio-

nem deſignans, quae alteram feminam ſedentem adloqui videtur. Puellus a cerva in Parthenio monte lactatus, eſt Telephus; femina ſedens eſt Auge eius mater, ab Hercule vitiata, in Naupliam abducta, ubi eum peperit; quam fabulam exponit Diodorus Siculus Biblioth. Hiſt. Lib. IV. 33. Tanta hae picturae praecellunt radiantque pulchritudine, elegantia, dignitate, ut cum admirandis Parrhaſii operibus, qui & Telephum, & Theſea, poſtea Romae poſitum in Capitolio, pinxit, comparari facile poſſint.

Mihi non conſtat, num aliis picturis ornatum fuerit tam praeclarum Herculis templum. Quod vero huiuſmodi templum ibidem fuerit, omnem dubitandi occaſionem dirimit eiuſdem Herculis pulcherrimum ex aere ſimulacrum, quod deſcribitur in Not. VII. pag. 51. & eo in loco repertum, una cum ſacrificalibus inſtrumentis notatur ab eodem Marchione Venuto. Reperta quoque ibidem memoratur in adlat. Not. VII. pag. 51. 52. & 56. menſa lapidea longitudinis fere trium Rom. pedum, latitudinis vero paullo plus duorum, quam undique ambit coronis lata uncias duas, in quodam ex angulis aperta, ut ex canaliculo libationes effluerent. Ferunt longiori epigraphe ſcriptam; ſed ad me linea tantum litterarum, quae in medio eiuſdem menſae ſcriptae leguntur, miſſa eſt, quae ita ſe habet:



Litterae mihi videntur Etruſcae, quae a dextra ad ſiniſtram eunt. Priores tres litteras ᗡ Ǝ 日, hoc eſt HER, nomen Herculis indicare, argui poteſt ex pateris Etruſcis a me editis; quae quum in-

inſculptum exhibeant Herculem, eius nomen ꟻ √ ꓘ Ꙭ ꟻ 8 *Hercle* ita ſcriptum cernitur. Sed meris coniecturis parum eſt fidendum, expectandumque, ut tota huius menſae inſcriptio accurate delineata ad nos & integra perveniat. Ferculariam menſam, ac libatoriam vocare poſſumus; quia fercula, epulae, & eſcae in ea in honorem Herculis ponebantur: item coronae, & alia donaria, quae eidem Numini offerri ſolebant. Libatoriam; in quam infuſi ſacri latices, libamina ſacra, poterant ex angulo defluere, & in ſubiecto vaſculo colligi: vel quum in ea hoſtiae, ac victimae immolarentur, cruor poterat inde effluere. Quod vero in hiſce menſis immolationes fierent, auctor eſt Feſtus, a quo memorantur: *Curiales menſae, in quibus immolabatur Iunoni, quae* Curis *eſt adpellata*. Hae ſacrae menſae arae vicem praeſtabant; ut in templo Iunonis Populoniae, cuius menſa anguſta erat, ut notat Macrobius Saturnal. Lib. III. Cap. II. qui haec ſubdit: *Namque in Fanis alia vaſorum ſunt, & ſacrae ſupellectilis, alia ornamentorum. Quae vaſorum ſunt, inſtrumenti inſtar habent, quibus ſacrificia conficiuntur: quarum rerum principem locum obtinet menſa, in qua epulae, libationeſque & ſtipes reponuntur. Ornamenta vero ſunt clypei, coronae, & eiuſmodi donaria. Neque enim donaria dedicantur eo tempore, quo delubra ſacrantur: at vero menſa, araeque eodem die, quo aedes ipſae, dedicari ſolent. Unde menſa hoc ritu deducta, in templo arae uſum, & religionem obtinet pulvinaris*. Menſae in antiquis Inſcriptionibus, ut apud Gruterum pag. XIX. 7. & XXI. 11. (quae eadem omnino eſt inſcriptio, quae Puteolis, & Aſſiſii in Vmbria exſtare dicitur) ab aris diſtinguuntur; ſed menſas ararum

vicem praeſtaſſe praeter Macrobium adnotat ex Virgilio Aeneid.Lib. I. v. 742. & Lib. VIII. v. 279. Pitiſcus.

Age nunc, ſi quod aliud Templum Herculanenſium nobis innotuerit, nunc breviter exponamus. Compertum eſt ex Not. XVI. pag. 68. & XVII. pag. 71. inventum fuiſſe parvum quidem, ſed elegantiſſimum Iovis Templum, in quo plurima vota, & tabellae votivae erant. Iovis vero ſimulacrum aureum inventum eſt, quod maxime cupiebam cognoſcere, & delineatum habere. In iisdem Notitiis pag. 69. & 72. inventa pariter memorantur candelabra, paterae, tripodes, urcei, arae, cippi, ſellae plicatiles, & alia huiuſmodi.

Cuius nam Templi ornamenta fuerint Picturae, quae in Not. XV. pag. 64. indicantur, ab his qui eas invenerunt, declaratum non eſt. Praeter Iovis, & Herculis templa, aedem quoque Bacchi apud Herculanenſes fuiſſe, adſtruunt picturae, quae Bacchi nativitatem, Bacchantium & Baccharum choros, feſta & Dionyſiaca ſacra exhibent, praeter Pomonam, Faunos, & alios Liberi Patris adſeclas. Eiuſdem Bacchi, vel Silvani ſacra continet marmoreus clypeus, ſive orbiculum, numiſmati perſimile, quod ſuſpenſum erat, ut utrinque ſpectaretur, & deſcribitur in Not. VI. pag. 48. & 49. Faunus ad aram ſacro igne calentem tibiis canit, ex una facie marmoris: ex altera, Faunus & mulier ex eodem Bacchico choro ſuiculum mactant.

Paucis lubet nunc Statuas Deorum Dearumque recenſere. Duas Herculis ſtatuas alteram marmoream, alteram aheneam in Templis poſitas iam obſervavimus. Iovis aurea ſtatua in eius aedicula inventa indicatur in Not. XVI pag. 68. & XVII. pag. 71. Alterum Iovis marmorum ſimulacrum, cui caput deeſt, miro artificio fabrefactum, teſtatur Not.

XIII.

XIII. pag. 60. Veneris ſignum marmoreum; quae innititur Priapo, tamquam Hermaeo ſigno, deſcribitur in Not. v. pag. 47. & 48. quod Theatrum Herculanenſium ornabat. Spectatu quoque digna Veneris Anadiomenes, item Minervae, Martis, Fauni, & Satyri ſigna marmorea, quae nobis declarata ſunt in Notitiis XV. pag. 66. XVI. pag. 68. XVII. pag. 71. ne quid dicam de immenſa pulcherrimorum ſignorum fractorum congerie; quae vel ita inventa ſunt, vel foſſorum incuria & inſcitia, ob nimiam copiam, adhuc diſperſa, nec conſociata ſpectantur.

§. XV. *Sepulcrum picturis variis ornatum, in ruinis Herculanei inventum deſcribitur, & obſervationibus nonnullis picta Mercurii puerum Bacchum ad Leucotheam deferentis fabula, illuſtratur.*

QVum in ſuperiore capite de Templis, ſignis, aris, ſimulacriſque Deorum, quos Herculanenſes coluere, breviter diſſeruerim; conſentaneum videtur, ut de religioſis locis, nempe Sepulcris defunctorum, quorum Manes divinis honoribus adficiebantur, nonnulla heic adducam. Memoratur in adlata Notitia v. pag. 46. & 47. prope Herculanei Theatrum ſuperius deſcriptum, ante Auguſtum menſem, anno MDCCXXXIX. detectum fuiſſe Sepulcrum picturis variis ornatum, & funebri ſupellectile inſtructum. Monochromatico opere coloribus rubris, & flavis picturae per totum aedificium cernebantur: ferarum pugnae, tigres iuxta pampineas vites, uvarum racemis avide inhiantes, eo, ut arbitror geſtu habituque corporis, quo in priſcis ſculpturis & ſimulacris, Bac-

chi, & Faunorum comites effinguntur. Cernebantur etiam picta capita Faunorum, ſive oſcilla, quae Faunos referebant, & Gorgonum capita. Colores, qui frequentius in Sepulcris pictis occurrunt ſunt caeruleus, & rubrus; in Herculanenſi flavum quoque colorem locum habuiſſe intelligimus. Rubrus color in luctu funebri adhibitus eſt a Graecis, & Etruſcis, atque etiam a Romanis; ſed apud nos quoque Florentinos diu feralis pompa in veſtibus rubris perduravit: quod colligi poteſt ex vetuſtis exequiarum deſcriptionibus, quarum unam adfert vir ſummus Franciſcus Redius in ſuis Adnotationibus ad Bacchicum Dithyrambum pag. 51.

Docemur etiam ab Eruditiſſimo P. Paciaudio ex eius Notitia XVI. pag. 60. inventum pulcherrimum oſcillorum, ſive perſonatorum capitum ſymplegma: quae ornamenta in Sepulcris veteres frequenter adhibuiſſe, iam adnotavimus ad Tab. VII. Monumenti, ſive Columbarii Libertorum & Servorum Liviae Auguſtae & Caeſarum. His enim defunctorum idola, & imagines exprimebant; quibus relictis, eorum animae ad Elyſios tranſibant, & hos Bacchicis antris ſimiles eſſe putabant; & hinc ſuſpicati ſumus, cur tam frequenter in Sepulcris veterum Bacchi feſta, Dionyſia ſeu Liberalia exprimantur, adlato Plutarchi inſigni loco, de ſera Numinis vindicta. Gorgonum capita adiiciebantur, violatores Sepulcrorum ut terrerent, & ſecuritatem defunctorum tuerentur. Hinc Virgilius Aeneid. Lib. VI. ver. 289. cum aliis ferarum monſtris Gorgonas cuſtodes in Orci foribus conſtituit, terrificio adſpectu.

Id etiam confirmat pictus in eodem Herculanenſi Sepulcro paries, in quo inter ea Faunorum & Gorgonum capita expreſſus cernebatur Mercurius

alis

alis inſtructus, altero brachio ſuſtinens puellum, quem ſuſcipit inter ulnas femina prope eum ſedens: quod emblema optime animadvertit Clariſſimus Auctor adlatae NOTITIAE v. pag. 47. referre Mercurium, qui puerum Bacchum Leucotheae tradit lacte nutriendum. Picturae loco, quam libenter proferrem, perlubet indicare, & deſcribere inſignem Crateris Bacchici, quod exſtat Caietae, e Pario marmore ſculpturam, ornatam egregii artificis nomine, quam adfert Sponius in Miſcellaneis eruditae Antiquitatis, quam vide, ſed parum accurate delineatam; quod mihi conpertum eſt ex alio ſchemate, quod mecum communicavit Clariſſimus Philippus L. B. de Stoſch, quod alibi una cum alio marmoreo Cratere apud Piſanos, anaglypho opere inſigni, ac celeberrimo, aliquando proferam. Vas illud Caietanum praecellentis operis, ita deſcribitur a Stephano Vinando Pighio Campenſi in Hercule Prodicio pag. 318. & 319. *E cuius urbis* (nempe Caietae) *ruinis extractus etiam eſt Crater ille Bacchicus ingens, cadorum plurium capax, ex uno ſaxo Pario candidiſſimo, quo nunc ibidem utuntur in Templo pro ſacri Baptiſmatis lavacro. Inter antiqua eius generis vaſa nil ſe vidiſse pulchrius perfectiuſque teſtatur Corona Pighius. Nam in eo caelatura conſpicitur artificioſiſſima, cuius non puduit Sculptorem, qui nomen ſuum Crateri inſcripſit: Salpiona Athenienſem fuiſse, characteres hi Graeci in eo ſculpti docent:*

ΣΑΛΠΙΩΝ
ΑΘΗΝΑΙΟΣ
ΕΠΟΙΗΣΗ

Caelavit eleganter in eo Vaſe figuris artificioſiſſimis,

ſimis, ut Dionyſium illum bimatrem ignigenam (ſicut illum Poëtae vocant) recens natum Mercurius detulerit Iovis ex mandato ad materteram Leucotheam, quam & Matutam Poëtae Latini appellarunt; eadem Ino veteribus dicta: quae, ut Orpheus, Pauſanias, & Ovidius auctores ſunt, Baccho infanti ubera primum dedit, qui deinde Nymphis nutriendus eſt traditus. Sic enim Poëta Lib. III. *Metamorph.*

Furtim illum primis Ino matertera cunis
Educat: inde datum Nymphae Nyſeides antris
Occuluere ſuis, lactiſque alimenta dedere.

Hanc igitur vides matronali in habitu ſedentem in rupe, praeſentatum a Mercurio infantem ulnis acceptare, poſitumque in linteo recondere ſinu, dum Satyri & Bacchae evantes ad tympana tibiaſque bifores ducunt choros. Cuius fabulae myſteria hic explicare longum eſſet; ideoque loco commodiori eam reſervabimus, ut & alia multa in iſto Itinere viſa, quae diligentiſſimus antiquitatum inveſtigator Corona Pighius mihi communicavit. Fabulati ſunt veteres Mythologi Mercurium Iovi obſtetricatum eſſe in Bacchi partu, qui a Luciano in Dial. Nept. & Merc. deſcribitur: qui mox natum puerum in Nyſam delatum, Leucotheae, & Nymphis nutriendum tradidit. Ex his manifeſtum eſt, quam nota fuerit in his urbibus Bacchi nativitas, nutritio, & educatio. Illud notatu dignum, quod in Herculanenſi pictura Mercurius alatus exhibetur. Alatum pariter Mercurium ex aereo ſigno protuli in Tab. XXXVIII. Muſei Etruſci; qui Proſerpinam ab inferis a ſe evocatam, ut ſuſpicabar, ad caelum reducit. Idem Liber Pater, adhuc puer in caelum re-

reportatus a Mercurio deſcribitur a Pauſania in Lacon. Cap. XVIII. ex ſella, ſive throno Amyclaei, quem ſculpſit ornavitque multis aliis emblematis Bathycles Magneſius.

Quod vero huiuſmodi pictura Sepulcris apte conveniat, aliis exemplis confirmari poſſet, ex Antiquitatis theſauro depromtis; ſed illud non praetermittam, in fragmento marmorei Sarcophagi invento in Columbario Libertorum, & Servorum Liviae Auguſtae, ſpectari Tab. XII. litt. c, Faunum, qui Bacchum puerum cuſtodiendum ſibi traditum, ſiniſtro ſuo humero inſidentem defert. In picturis Sepulcrorum, quemadmodum in illo Naſoniae familiae, Mercurius expreſſus cernitur, animarum ad Inferos deductor; & alia ab eo geſta in emblematis eiuſdem Sepulcri repreſentantur. Ne vero in dubium revocetur huiuſmodi Herculanenſe aedificium, Sepulcrum fuiſſe, uti optime animadvertit Eruditiſſimus Marchio, & Eques Venutus, accedunt vaſcula feralia, ollae cinerariae, & praeter reliquam funebrem ſupellectilem, lucernae duae, altera aerea, altera fictilis ibidem inventae. Nec dubito in eodem Sepulcro inventos quoque ſepulcrales titulos, quos optamus, ut quamprimum luce donentur.

Fortaſſe ad apparatum huiuſce Sepulcri pertinet illud veluti copiae cornu ex aere, auro micanti ſuperfuſum, quod in pariete defixum inventum eſt, ex Not. II. pag. 43. cuius ima pars in aquilae caput deſinebat. Quum aquilae collum perforatum eſſe notatum ſit, & ipſe lampadario ſuſtinendo inſerviſſe, haud aegre crediderim. In hunc ferme modum lychnuchi ponebantur in Sepulcris, & lucernae penſiles adfigebantur, & lampadaria, de quibus iam dixi ad §. IX. Columbarii mei.

Fa-

Facile etiam ad funeris pompam pertinent non pauca illa vitrea vaſcula, quae in fine anni MDCCXLVII. inventa ſunt, & deſcribuntur in NOTITIA XIV. pag. 63. quae non pice, ſed balſamo, ſive alia odorum mixtura antiquitus oppleta fuiſſe, haud eſt improbabile.

Uberrima eruditionis ſegete plenus hic mihi aperiretur campus, ſi fuſius diſſerere vellem de picturis antiquorum Sepulcrorum. Picturas Etruſcorum Hypogaeorum oſtendi in Tomo III. mei Muſei Etruſci, eaſque nonnullis obſervationibus illuſtravi. Quam elegantibus picturis ſint referta Romanorum Sepulcra, oſtendit egregium opus Petri Sanctis Bartoli; quibus & hoc Herculanenſe addendum eſt.

§. XVI. *THEATRVM Herculanenſium, atque eius ornamenta deſcribuntur: Laſenae, & Capacii opiniones de eius exitio refelluntur.*

NEc Cicero, nec Seneca, nec Strabo, nec Tertullianus aliique veteres Scriptores, qui Herculanei mentionem fecere, Theatrum in eo fuiſſe nos docuerunt. Solus Dio Caſſius Theatrum laudat, loco ſuperius pag. 18. adlato; ſed tam paucis interiectis verbis, ut Camillus Peregrinus, patriarum totius Campaniae Antiquitatum conſultiſſimus, eius auctoritati fidem praeſtare dubitaverit; & facilius crediderit Pompeios tunc deſediſſe, ab ignivomo Veſuvio obrutos, quum Herculanenſes in Theatro ſederent, & editis ſpectaculorum voluptatibus indulgerent: non bene videns, quod idem dici poſſet de Pompeianis, qui dum ſpectarent munera edita in ſuo Theatro, Herculanenſium exitium audierunt. Peregrini opinio-

nionem non reiicit, ſed tuetur Petrus Laſena, cuius verba paullo ante retulimus pag. 95. Multa inſuper de ſuo profert, quae non elucidant obſcura, ſed obſcuriora reddunt, & ambagibus implicant, quae heic non vacat repetere. Quod eſt in Scriptore docto peccatum maximum, non bene diſtinguit tempora, ſed valde confundit Laſena; nam ſupponit, & veritati conſonum cenſet, Herculanenſium, & Pompeiorum exitium contigiſſe imperante Nerone, quod eſt falſum; nam, eo regnante, pars tantum Herculanei vi terraemotus corruit: quod Seneca, cuius teſtimonium ſupra adductum eſt §. IV. pag. 17. contigiſſe adfirmat Regulo, & Virginio Conſulibus; nimirum anno V. C. DCCCVI. Chr. LXIII. Imperii Neronis decimo. Silet vero Laſena maximam Veſuvii eructationem, quae contigit primo Imperii Titi Veſpaſiani anno, qua urbes clariſſimae Herculaneum, Pompeii, Stabiae, & alia finitima loca penitus obruta ſunt, ac ſepulta. Sequenti anno, quum eſſent Conſules C. Lecanius Baſſus, & M. Licinius Craſſus, nempe anno undecimo Imperii Neronis Caeſaris, Theatrum Neapolitanum, ſine ullius noxa, conlapſum eſt. Petrus Laſena putat Dionem, atque ex eo Xiphilinum, dum ſcribit Herculaneum, & Pompeios urbes periiſſe Veſuvianis eructationibus obrutas, *populo ſedente in Theatro*, intelligendum eſſe, loqui de Theatro Neapolitano, in quod quum ad ſpectandum Neronem e proximis Coloniis, & Municipiis rei fama moti populi, & ipſi quidem Herculanenſes, & Pompeiani confluxiſſent, tunc urbes eorum Herculaneum, & Pompeios periiſſe: quod quam a veritate ſit alienum, & antiqui Scriptoris menti repugnet, perſpicue docent, quae praetermitti non poſſunt, graviſſimorum Scriptorum teſtimonia. Tacitus Annal. Lib. XV. Cap. 33.

Cap. 33. & 34. ita ſcribit: *C. Lecanio, M. Licinio Conſulibus, acriore in dies cupidine adigebatur Nero promiſcuas Scenas frequentandi: nam adhuc per domum aut hortos cecinerat Iuvenalibus ludis, quos ut parum celebres, & tantae voci anguſtos, ſpernebat. Non tamen Romae incipere auſus, Neapolim quaſi Graecam urbem delegit: inde initium fore, ut tranſgreſſus in Achaiam, inſigneſque, & antiquitus ſacras coronas adeptus, maiore fama ſtudia civium eliceret. Ergo contractum oppidanorum vulgus, & quos e proximis Coloniis, & Municipiis eius rei fama civerat; quique Caeſarem per honorem, aut varios uſus ſectantur, etiam militum manipuli Theatrum Neapolitanorum complent. Illic, plerique, ut arbitrabantur, triſte; ut ipſe, providum potius, & ſecundis Numinibus, evenit; nam egreſſo, qui adfuerat populo, vacuum, & ſine ullius noxa Theatrum collapſum eſt*. Nullum, heic ut vides, Veſuviani incendii exitium indicatur; ſed terrae motu id contigiſſe ſcribit Suetonius in vita eiusdem Neronis Cap. 20. *Et prodiit Neapoli* (inquit) *primum; ac ne concuſſo quidem repente motu terrae Theatro, ante cantare deſtitit, quam inchoatum abſolveret νόμον. Ibidem ſaepius, & per plures cantavit dies*.

Si Dio, ubi deſcribit Veſevi montis incendium, & memorat Hercalaneum, & Pompeios, ἐν Θεάτρῳ τοῦ ὁμίλου αὐτῆς καθημένου, *populo ſedente in Theatro*, integras urbes penitus obrutas, & ſepultas; paullo, vel immediate ante deſcripſiſſet Neapolim, atque eius Theatrum, ſuſpicandi locus eſſet, ipſum innuere voluiſſe (ut vult Laſena) exitium harum Vrbium tunc contigiſſe, cum earum cives in Neapolitano Theatro ſederent ad ſpectacula, in quibus Nero canebat. Verum ex Dione Xiphilinus, ubi fuſius Veſuvii igneas, & cine-

reas

reas eructationes deſcribit, tantas fuiſſe docet, ut hae urbes penitus interierint. Quum Veſuvius ardere inciperet, puto tunc forſitan populum in Theatro ſediſſe; non vero credibile eſt, quum fugiendum eſſet, tunc ſediſſe, quum Herculaneum, & Pompeios ignis, ſaxa, & cineres eas penitus ſepelirent. Nam inventum Theatrum Herculanenſium audivimus; non vero oſſa multorum millium hominum in eo effoſſa, vel in gradibus Theatri iacenria, (quod contingere neceſſe erat ſi ſpectantes ibidem periiſſent) ad hunc uſque diem reperta audivimus. Herculanenſes, & Pompeiani, incipientibus Veſuvianis incendiis, & eiectamentis, licet in Theatro ad ſpectacula ſederent, ſtatim effugere potuerunt, & ſibi conſulere. Nimis urget Laſena ſuas obſervationes, nec animadvertit, ſe ſibi contradicere, & vanis rationibus ad ſuas opiniones firmandas adducere Dionis locum.

Labitur in errorem, & doctiſſimus Iulius Caeſar Capacius, qui in ſuo opere, cui titulum fecit *Il Foraſtiero*, *Giornat.* x. pag. 114. ſcribit Herculaneum, & Pompeios urbes interiiſſe, dum cives in Theatro ſpectaculorum voluptatibus indulgebant, Regulo & Virginio Conſulibus: & ipſe probe temporum ſeriem non diſtinguens; nam hiſce Conſulibus, teſte Seneca, corruit Herculanei pars, & dubie ſtetere, quae relicta ſunt. Tito vero imperante, ſexdecim iam tranſactis annis, poſt memoratos Conſules, aeternum earum urbium exitium contigiſſe indubitatum eſt. Diſerte id teſtatur, nec ambages ambagibus nectit, vir politiſſimus Stephanus Vinandus Pighius Campenſis in Hercule Prodicio, qui pag. mihi 339. haec, edita Veſuvii montis luculenta deſcriptione, ſcribit. *Hinc Veſevus cum ignibus redundat, accenditur aliquan-*

do

do, nonnumquam terraemotus & clades ingentes concitare ſolet. Ceterum illud fuit famoſiſſimum incendium, quod Titi Veſpaſiani ſub imperio contigit, & graphice nobis a Dione Caſsio aliiſque auctoribus deſcribitur: cum eius incendii cineres non ſolum Romam, ſed ultra mare in Africam, & Aegyptum deferrentur ventis; cum in mari bulliente piſces coquerentur, aves in aëre ſuffocarentur: celebres urbes vicinae, & antiquiſsimae STABIAE, HERCVLANEVM, atque POMPEII ſaxis & cineribus, DVM POPVLVS IN THEATRO SEDEBAT, obruerentur: cum C. Plinius Hiſtoriae Naturalis Scriptor celeberrimus, qui claſſem Miſeni cum imperio tunc regebat, dum avidius cauſas eius incendii perſcrutari, & propius accedere cupit, ad HERCVLANEVM PORTVM, vi aeſtus atque vaporis ſuffocaretur.

Magis magiſque decipitur, & legentes decipit Petrus Laſena, qui tantae dignitatis & opulentiae non fuiſſe Herculanenſes, & Pompeianos cenſet, ut Theatrum haberent, & quidem tam capax, ut duos populos ſpectatores caperet: nec putat eos tantis opibus, & viribus praeſtitiſſe, ut poſſent ſuſtinere theatrales ſumptus, munera, magnificentiam, adeoque maximis impendiis pares fuiſſe; quod, ut ſupra vidimus, diſerte pag. 97. adfirmat. Quam longe a veritatis ſcopo abſit hic vir ceteroquin doctus, nemo eſt, ut arbitror, qui non videat. Ab anno undecimo Imperii Neronis Caeſaris, quo Theatrum Neapolitanorum collapſum eſt, ad annum primum Titi Imperatoris, quo Veſuvio ſua incendia, & cineres eiectante, Herculanorum, & Pompeianorum urbes terra obrutae ſunt, annorum fere ſexdecim intervallum intercedit. Nos adhuc latet num Pompeiani Theatrum habuerint, cuius nec Scriptores an-

antiqui mentionem faciunt, nec vetuſti lapides; nam haec ipſa urbs adhuc ſub terra conſepulta deliteſcit, & vix rudera, & informia veſtigia ſuperſunt. Maſculus Neapolitanus, a Laſena prolatus ſupra pag. 83. putat, non ſolum Pompeianos, ſed & Nucerinos Theatrum habuiſſe, apud quos ſpectacula ederentur: nec ipſe ab eius opinione longe abſum. Siquidem coniicio Municipia haec non inferioris conditoinis, ſplendoris, & potentiae fuiſſe, ut in his aedificiis cederent Herculanenſibus. Sed, ut ſperare libet, iubente Rege, aliquando, factis aliis egeſtionibus, hae urbes ditiſſimae, & ſplendidiſſimae in hanc lucem, forſitan hac noſtra aetate, exſurgent: &, quae nunc latent, veteris magnificentiae eruditas, ac pretioſas reliquias nobis oſtendent. De Herculanenſibus vero dubitari minime poteſt, quum praeter adlatum ex Dione teſtimonium diſertiſſimum, quo Theatrum, & Spectacula ab iiſdem edita, aut parata memorantur, marmora ipſa in eiuſdem Herculanei egeſtionibus opportune inventa hac tempeſtate, quae ſuperius adlata ſunt pag. 42. clariſſime teſtentur. Hiſce Scriptoribus, aliiſque contra veritatis lucem pugantibus, & Theatrum apud Herculanenſes non admittentibus (quod, ut docet Vitruvius, in aptiſſimis locis condi exſtruique debebat) illud Plinii Secundi Lib. IV. Epiſt. 24. repetendum eſt: *Recordare quid quaeque civitas fuerit, non ut deſpicias, quod eſſe deſierit.*

Quod autem huiuſmodi tam magnificum Theatrum in dias luminis oras prodierit, & poſt tot ſaecula feliciter detectum ſit, tot ſtatuis, columnis, marmoribus, totque monumentis & opibus eruditae Vetuſtatis refertum nobis innotuerit, debet litteratus Orbis Antiquitatis indagatori peritiſſimo Marchioni, & Equiti Marcello Venuto, Patricio Cortonenſi,

mihi pro ſua in me egregia voluntate, ac benevolentia amiciſſimo; qui primus omnium, quum egeſtiones terrae factae fuiſſent, miro flagrans priſcarum rerum deſiderio & amore, ſe in altiſſimum puteum demitti voluit: quod quum bene, & ſapienti conſilio, eo curante, factum eſſet, primum gradus detexit, mox marmorum plura fragmenta litteris inſculpta invenit: & quum diſperſa ea eſſent, diligenter conſociavit; &, quod paullo ante ſuſpicatus fuerat, Theatrum eſſe Herculanenſium adſeruit, & Regi nunciavit, eaque omnia Diſſertatione ſua explicavit. Haec ſuperius narrantur in Not. 1I. qua diſcimus initio fere anni MDCCXXXVIII. Theatrum hoc e ſuo ſepulcro emerſiſſe, quod in dubium revocari minime poteſt. Id quidem, ſi Peregrino, & Laſenae eorum tempeſtate innotuiſſet, profecto non aberraſſent a vero, nec parvi nominis, exiguarumque virium Herculanenſes exiſtimaſſent, ut Theatrum eis negarent, & theatralibus muneribus edendis impares adſererent. Id ipſum mihi per epiſtolam Cortonae ſcriptam X. Kal. Maias huiuſce anni confirmavit praelaudatus Cl. Marchio Venutus, quum ab eo petiiſſem, ut probaret hoc meum de pervulgandis eius Epiſtolis conſilium: quod non ſolum probavit, & ſingulari humanitate laudavit; verum etiam, quod id facerem, gratias egit: mox haec ſubdens: „ *Mi preme, che il Mondo ſappia, che i primi ritrovamenti ſono ſtati fatti ſotto*
„ *la mia direzione, e le prime Spiegazioni ſtate fatte*
„ *al Re, e a eſſo date, ſono mie, e tutti i lumi da me*
„ *laſciati; mentre la prima coſa, che ſi trovò, fu l'*
„ *Iſcrizione del Teatro frontale mutila in tre pezzi,*
„ *che io riunii, e ſpiegai indovinando al Re, che do-*
„ *veva eſſervi un Teatro; e che eſſendo tale, non po-*
„ *teva eſsere ſe non che la Città ſteſsa d' Ercolano, ſta-*

ta

„ *ta ſepolta. Indi mi feci calare con una corda nel*
„ *pozzo; e ivi feci ſcavare, e ritrovai gli ſcalini,*
„ *che conſiderati circolari, tornai a dar la nuova al*
„ *Re, che era veramente un antico Teatro. Poi ſi fe-*
„ *ce ſcoprire tutto intorno intorno, e ſi trovarono le*
„ *altre coſe, che Ella vedrà dalle mie Lettere. Ho*
„ *perciò piacere: Ella ſi sbrighi in pubblicarle, e me*
„ *ne mandi un eſemplare, e un altro per queſta Ac-*
„ *cademia.*

Epocha igitur inventi integri Herculanenſium Theatri ſtatuitur initio anni MDCCXXXVIII. Quam elegans, magnificum & ſumptuoſum ſit, facile oſtendere poſſem, ſi ob oculos ponere datum eſſet eius ſchema: ſed eius loco poſſunt benevoli Lectores videre celebres Architectos, Palladium, Serlium, qui antiqua Theatra exhibent, eorumque ornamenta & partes accurate deſcribunt; & nuper editum Antiatum Theatrum, quod profert Praeclariſſimus Praeſul Franciſcus Blanchinius in fine Operis, cui titulus: *Camera, ed Inſcrizioni Sepolcrali de' Liberti, Servi, ed Ufficiali della Caſa di Auguſto &c.*

Ornamenta, quae primum detecto Theatro in lucem e tenebris, poſt tot ſaecula, venerunt, fuere Statuarum Equeſtrium inauratarum ex aere fragmenta fulgenti auro ſuperfuſa; paraſtatae lateritiae perelegantes, tectorio opere variiſque coloribus pictae; triumphalium quadrigarum, & equorum ex aere inſignes reliquiae, quibus Theatrum ornabatur: Deorum Dearumque ſigna, Caeſarum ſtatuae, inter quas non paucae coloſſeae, quae in adlatis NOTITIIS II. III. & IV. deſcribuntur de quibus mox ſermo erit. Obſervatum eſt Theatrum circumquaque ornatum eſſe decem & octo gradibus, in quibus ſpectatores ſederent; & gradus omnes eſſe marmoreos, interiectis ſcalis, quibus po-

K 2 pu-

pulus Theatrum conſcenderet, & inde percommode exiret, ut in Not. xiii. pag. 60. & 61. Nil dico de columnis, capitulis, epiſtyliis, frontibus, & coronidibus; deque Statuis Virorum illuſtrium, ſcriptiſque titulis: quae omnia, mox ſeorſim expendenda, perſpicue docent Theatrum Herculanenſium longe magnificum, omnibuſque ornamentis locupletiſſimum fuiſſe. Si figuras inventi Theatri ante oculos haberem, conferre illas poſsem cum his regulis, quae a Vitruvio perſcribuntur, Lib. v. Cap. iii. itemque Cap. vi. & vii. & cum reliquis, in quibus Theatri ſitus, conformatio, & ſingulae partes accuratiſſime adnotantur, atque ob oculos ponuntur.

Haud etiam immoror diutius in exponendis ſingulis Theatri partibus, quarum praecipuae fuere Orcheſtra, proſcenium, pulpitum, ſcena; ne quid dicam de reliquis, quae luculenter ab Iulio Caeſare Bulengero illuſtrantur in opere ſuo de Theatro; nam nunc non vacat, nec profecto decet, aliorum ſcripta expilare, & crambem recoquere. Scena altior erat pulpito, pulpitum orcheſtra, in qua in Municipiis Decuriones, ſive Senatores ſedes ſuas habebant. Theatra Diis erant dedicata; cuius praecipua Numina fuere Bacchus, & Venus. Veneris ſignum, inventum in Theatro Herculanenſi, ſuperius deſcribitur in Not. v. pag. 41. & 42. His etiam arae dicatae erant. Locus quoque fuit Apollini, Muſis, Dianae, & Minervae. Velis aut carbaſinis, aut lineis, aut ſericis Theatra inumbrari ſolebant, ac tegi, ut Solis ardores vitarentur: quam laſcivam magnificentiam, quum Ammianus Marcellinus a Campanis profectam Lib. xiv. ſcribat; probabile eſt, & apud Herculanenſes in uſu fuiſſe. Eadem vela variis coloribus infecta fue-

ſuere, vel lutea, vel ruſsea, vel ferruginea. Columnae paene innumerabiles Theatrum ornabant, & inter columnas ſigna collocari ſolebant, quod & in Herculanenſi Theatro factum, ſidem perhibent clarorum Virorum Notitiae a me ſupra editae. Sed de his perpauca haec ſatis ſunto.

Muratorius, vir omni laude maior, ubi adfert pag. MCMXCII. 8. titulum adpoſitum Statuae Titi Veſpaſiani Caeſaris Auguſti, ſuperius editum in NOT. IV. pag. 45. haec adnotat: *Vetuſtum Theatrum in Villa* Resína *detectum, originem ſuam referre videtur ad tempora Titi Auguſti*. Aliter ſenſiſset Celeberrimus Muratorius, ſi alia monumenta, quae nobis patuere, ei tunc innotuiſsent. Iam ex praenotatis conſtat Theatrum, imperante Tito, iam diu fuiſse exſtructum. Fortaſſis, quum Herculanei pars corruerit decimo imperii anno Neronis, probabile eſt Titum Veſpaſianum, ad Theatrum Herculanenſium reſtituendum multum opis contuliſse; quod & praeſtitit in reficiendo Neapolitano Theatro, ut notat Laſena; vel multis beneficiis, honoribus, ac privilegiis ſibi devinxiſse Herculanenſes, qui occaſione eius triumphi, Iudaea capta, non ſolum Statuas, & quidem inter has coloſseam ex aere miri artificii, & magnitudinis, ei in Theatro dedicarunt; verum etiam quadrigas triumphales ex aere, & quidem micanti auro ſuperfuſas, quae in eodem Theatro Herculanenſium conſpicuo in loco olim erectae, noſtra aetate dirutae, ac fractae inventae ſunt, quae in NOT. III. & IV. deſcribuntur.

Herculanenſium Theatrum, licet docti Viri, quorum Epiſtolas dedimus, non dixerint, ubi ſitum fuerit, an intra Urbem, an vero extra; tamen intra Urbem fuiſse credibile ex ipſis deſcri-

ptionibus videtur ; utriuſque enim moris exſtant exempla. In Delo Theatrum fuit in Urbe ; in qua etiam Heracleum fuit, nempe Templum Herculi ſacrum, teſte vetuſto marmore in Theſauro Gruteriano, pag. ccccv. quod non hiulcum, ſed integerrimum e Muſeo Grimanno profert Celeberrimus P. Montfauconius in Diario Ital. Cap. III. pag. 43.

Ante conditum Theatrum vetuſtiſſimis temporibus apud Herculanenſes fuiſse puto Stadium, ſive Hippodromum, in quo Celetes decurrebant; quod indicare videtur poſtica pars numi Herculanenſium ſuperius adlati §. v. pag. 11. in cuius exergo litteris Etruſcis Herculaneum indicatur. Eques ille Celes, equo vectus, palmam tanquam in ludis victor defert ; adeoque editos Celetum ludos deſignat.

§. XVII. *Expenditur a quo nam conditum ſit Theatrum, & Orcheſtra Herculanenſium ; & qui fuerit eiusdem Architectus.*

EX adlata ſuperius pag. 42. & 120. duplici Inſcriptione ex pluribus marmoris fragmentis conſarcinata, quam ferunt in fronte exſtitiſſe porticus Theatri Herculanenſium, liquido erui non poteſt num L. Annius Mammianus Rufus eiuſdem Theatri conditor fuerit; & an in nobiliorem elegantioremque formam illud ipſum inſtauraverit, ornaveritque : ſive etiam num Orcheſtram tantum Theatri de ſuo exſtruendam curarit. De Orcheſtra quidem ab eo condita, dubitare non poſſumus, ſi negemus eum Theatrum quoque condidiſſe ; nam adpoſita formula, quae ſequitur in eodem marmore, DE SVO, perſpicue oſtendit:

vel

vel unum & alterum ex his ſuo ſumptu aedificandum curaſſe. Quo autem tempore id magnifico cum ornatu, magna nominis, & liberalitatis ſuae gloria effecerit, ex eadem adlata epigraphe diſcimus: nempe quum ampliſſimam dignitatem in Republica Herculanenſium gereret; videlicet quum eſſet Duumvir Quinquennalis. Pedeſtris quoque Statua marmorea, quae ei in Theatro dedicata eſt, adiecto titulo ſuperius edito pag. 45. oſtendit, eum de Herculanenſibus optime meritum fuiſſe, dignumque omni honorum genere; nam iterum Duumviralicia Dignitate Quinquennali functus dicitur, ac praeterea Septemvir Epulonum. Horum ſacrum munus ſummae honorificentiae, & dignitatis fuit, non tantum Patriciis Viris, & Conſularibus conlatum; verum etiam & Imperatoribus Auguſtis: & quidem de Tiberio, & Nerone teſtantur apud Gruterum marmora edita p. CCXXXV 10. & CCCXXXVI. 9. Hos primum Numa inſtituit, ut illud ludorum epulare ſacrificium facerent, indicerentque Iovi, & ceteris Diis. Quum ante Sullam tres tantum eſſent, quatuor additis, Septemviri Epulones evaſere: quo munere idem quoque Sulla ornatus legitur in marmore Gruteriani Theſauri pag. CCCXCVIII. 3. Cave autem ne credas & in Municipiis, & in Coloniis fuiſſe Septemviros Epulones, cuius rei nullum exemplum reperire potui; ſed eo munere Romae functos credere eſt, ſi vetera ſcripta monumenta conſulamus. Ita quoque Caietae memoratur ſumptuoſiſſimum L. Munatii Planci Mauſoleum, cum Inſcriptione, in qua *Septemvir Epulonum* dicitur. Igitur veritati conſonum eſt L. Annium Rufum eo munere Romae functum fuiſſe: deinde maximos honores ab Herculanenſibus, quibus iuſsu Caeſaris, ut puto, praefuit, conſecutum eſse. An-

Annia gens, plebeia quidem fuit; ſed in qua aliquot familiae Conſulares enituerunt, & Viri illuſtres, qui ab eodem Glandorpio enumerantur. Si hic L. Annius Rufus forte ille eſt, qui Praetor Iudaeam procuravit, quo tempore Auguſtus mortuus eſt, quod memorat Flavius Ioſephus Antiq. Iudaic. Lib. xviii. Cap. II. num. 2. coniicere hinc poſſumus, quo circiter tempore vel Orcheſtra, vel Theatrum Herculanenſium tam ſplendide ſive exſtructum, ſive ornatum, inſtauratumque ſit.

Quoniam vero in Theatro Herculanenſium iam vidimus Tito Veſpaſiano ſtatuas, & quadrigas triumphales ex aere dedicatas; credibile etiam eſt hunc L. Annium, ſive L. Annii Ruſi filium, eum eſſe, qui a Veſpaſiano, quum circumquaque cingeret Hieroſolymitanos, & apud Hierichuntam, & Abida exſtrueret caſtella, & praeſidia utriſque, ex Romanis pariter ac Sociis imponeret, miſit Geraſa, quam primo impetu cepit, & mille iuvenes, qui fugam facere non occupaverant, interfecit; familias captivas abduxit, & militibus facultates diripere permiſit, teſte Flavio Ioſepho de Bello Iudaico Lib. iv. Cap. ix. num. 1. & Hegeſippo. Ad haec teſtanda pertinere videtur anaglyphum illud, quod in Not. iv. pagina 45. deſcribitur, in quo barbara gens, quae ſpectatur fugiens, Geraſenos, vel ipſos Hieroſolymitanos a Tito, vel ab L. Annio fugatos, interemptoſque, repraeſentat.

Meruit P. Numiſius, qui Architectus fuit, ut in fronte Theatri Herculanenſium, eius quoque nomen in marmore ſcriberetur, ut videre eſt in Inſcriptione adlata pag. 42. Is floruit aureo Auguſti aevo, eodem, ut coniicimus, tempore, quo L. Cocceius Architectus Templum Auguſto cum orna-

ornamentis perfecit apud Puteolanos, teſte epigraphe non ſemel prolata in Gruteriano Theſauro, quem vide pag. CCXXVII. 2. Peritiſſimi Architecti quanti aeſtimandi ſint, & quam multiplici rerum cognitione pollere debeant; docet Vitruvius omnium celeberrimus Lib. 1. Cap. 1. atque ex his, quae praeſcribit idem Vitruvius in eligendo Theatri loco, in ſingulis partibus exſtruendis, ornandiſque, quanta P. Numiſius Architectonices peritia, rerumque ſcientia praeſtiterit, eſt manifeſtum.

§. XVIII. *Statuae Caeſarum, & illuſtrium Virorum in Herculanenſibus ruderibus inventae: Herculanenſium Familiae ſplendidiſſimae, iisdemque decreti honores declarantur.*

POſtquam ſigna & ſimulacra Deorum paucis deſcripſi, conſentaneum videtur, ut Statuas quoque Caeſarum & Virorum illuſtrium non praetermittam. Fuerit ne apud Herculaneum inventa Auguſti ſtatua, nondum nobis patefactum eſt. Ferunt tamen effoſsas ſtatuas, quae referunt vultus Principum Domus Auguſtae, eidemque Auguſto proximas; nempe coloſſeam Tiberii Caeſaris ſtatuam, more Deorum Heroumque haſtatam, toto corpore nudam, quae a Comite Matthaeo Aegyptio, viro praeſtantiſſimo, mihique olim amiciſſimo, deſcribitur in NOT. X. pag. 55. Claudio quoque Caeſari non dubito Herculanenſes ſtatuae decus conſecraſſe; nam ex ahenea Tabula in ruinis Herculanei effoſsa, quam inter Donianas protuli Claſs. II. num. 66. & quidem accuratius, quam apud Reineſium edita ſit Claſs. VII. n. XI. ex Capacio Lib. II. Cap. IX. Hiſt. Neapol. conſtat, Claudio Augu-

ſto

ſto auctore foedas negotiationes, & iniquas venditiones, dirutis domibus, ac villis, apud Herculanenſes vetitas fuiſſe decreto edito in eorum Senatu. Poſita quoque memoratur Neroni coloſſea Statua inſignis ex aere, idemque Caeſar expreſſus, tamquam alter Iuppiter, fulmen in manu gerens, ut colligitur ex Not. xx. pag. 87. Obtinuit quoque Vitellius ab Herculanenſibus ſtatuam haſtatam & loricatam, miro opificio abſolutam, thorace anaglypho opere pulcherrimo inſignem, quae in eadem Not. xx. pag. 87. deſcribitur.

Prae omnibus Imperatoribus Auguſtis, inſignia decora, & perhonorifica monumenta ab Herculanenſibus obtinuere Flavius Veſpaſianus, & Titus Caeſares; nam praeter Statuas ex aere magnitudine inſignes, & titulo iisdem inſculpto, ut ſupra adnotavimus, quadrigas triumphales ex aere inauratas inter maxima Theatri ornamenta conlocatas obtinuerunt; quae in Not. iii. & iv. pag. 43. & 45. deſcribuntur. Subſpicari poſſumus Herculanenſes, ut diximus, eas dedicaſſe in memoriam captae Iudaeae, & triumphi Titi Caeſaris: vel etiam quia Herculanenſium Colonia ab iiſdem deducta eſt; vel quia eorum favore reſtitutum eſt Theatrum, quod antea terraemotu labefactatum fuerat, Imperante Nerone. Inventae etiam ſunt Statue, ut puto, Auguſtarum Feminarum ex aere, quae iisdem in Notitiis indicantur pag. 44. & 48. ſed earum nomina tacentur: quae nonniſi periti viri, qui & Numiſmata Caeſarum Auguſtarumque longo ſtudio perſcrutati ſunt, diſcernere, & docere nos poſſunt.

Togatae Statuae Conſularium Virorum permultae inventae ſunt, quae deſcribuntur in Notitiis pag. 42. 68. 71. ne quid dicam de aliis multis Statuis mi-

no-

noris magnitudinis, quae pag. 45. indicantur. Statuarum Equeſtrium ex aere fragmenta effoſſa memorantur in Not. iI. pag. 42.

His adde Statuas pedeſtres, cum ſuis titulis M. Nonii Balbi patris M. Nonii Balbi, cui Herculanenſes Statuam Equeſtrem admirandi operis dedicarunt, de qua mox dicendum. Matri quoque eiuſdem Nonii Balbi Statua poſita memoratur, quae Viciaria Archas fuit. Sed alias quoque cum Virorum, tum Mulierum, de Herculanenſi Republica optime meritarum, dedicatas fuiſſe ex iisdem Notitiis erui poteſt, quae non nominantur; quia vel titulis carebant, vel fractae inventae ſunt.

Quod adtinet ad Familias nobiles Herculanenſes, earum plurima nomina ſciemus, quum in lucem prodibunt ſcripta marmora ibidem inventa, quae in Not. iii. pag. 44. & iv. pag. 46. xv. pag. 65. xvi. 69. demum & in xx. pag. 88. 89. 92. memorantur. De *Annia* Familia, de *Nonia*, de *Memmia*, de *Viciaria*, de *Atilia*, ſeu potius *Attia*, *Voluſia*, *Cornelia*, *Alliatoria*, quae in Tabula ahenea inter Donianas nominantur Claſs. iI. num. 66. pag. 84. & 85. vel nonnulla iam dicta ſunt, vel poſtmodum in ſequentibus programmatis dicentur. Adcedit *Numiſia*, in qua omni laude enituit P. Numiſius Architectus preſtantiſſimus, qui vel Theatrum ipſum, vel pariter & Orcheſtram apud Herculanenſes ex liberalitate L. Annii Mammiani Rufi Duumviri Quinquennalis, omni cum ornatu diligentiſſime exſtruxit. Heic opportune moneo emendandam eſse adlatam Inſcriptionem pag. 42. & 120. typothetarum feſtinatione maculatam, legendumque in altera, ut revera habet marmor:

P. NVMISIVS. P. F. ARC... TEC...

§. XIX.

§. XIX. *Statua marmorea Equeſtris M. Nonii Balbi, eiuſque titulus deſcribitur, & expenditur.*

SIgnorum celebritate adeo urbes nobilitatae ab antiquis Scriptoribus memorantur, ut ſola eorum cauſa priſcarum elegantiarum cupidi cultores, & aeſtimatores, eas adire non dubitaverint. Laudat Cicero Praxitelis marmoreum Cupidinem, & Verri obiicit, propter quem Theſpiae, quum alias minime dignae eſſent, quae ſpectarentur, petebantur: quod etiam adnotat Plinius Hiſt. Nat. Lib. XXXVI. Cap. 5. & Strabo Lib. IX. p. 410. pariter narrat. Eadem de cauſa ſimiliter, & frequentata Gnidus ob Venerem Praxitelis dicitur: quemadmodum maxime propter Venerem Mediceam, multi ſumma voluptate Florentiam & petierunt, & adhuc petunt.

Parem famam, & ſtudioſorum hominum frequentiam, itum aditumque iure ac merito ſibi vindicat Equeſtris Statua M. Nonii Balbi, quae victrix temporum, & Veſuviani incendii, integra, atque ex uno, eodemque marmore exſculpta a praeſtantiſſimo inter Graecos Statuario, hodie in Xyſto regiae Villae clathris ferreis undique circumdata, ne laedatur, maximo omnium, qui vetuſtatis miracula ſuſpiciunt & amant, ſtupore, & incredibili voluptate ſpectatur, & centies ſpectata, ſemper ſumma cum laude adhuc ſpectatur, & a poſteris quoque tanquam artis miraculum iugiter ſpectabitur. Mira de hoc tam praecellenti monumento, haud tamen ſupra fidem in adlatis NOTITIIS n. XI. pag. 57. 58. XII. p. 59. XIII. p. 61. & in ſequent. XVI. XVII. XVIII. & XXII. narrantur.

Fere

Fere tum hominis, tum equi a natura habitum ſtatumque imitatur. Eques paludamento, & anulo inſignis inſidet equo; quo opificio faberrimo, & plane mirifico nil pulcrius, nil concinnius, & praeſtantius cerni poteſt. Operi praeclariſſimo adcedit raritas ipſa; nam praeter antiquam M. Aurelii Imperatoris ex aere Equeſtrem Statuam, quae Romae conſpicitur, nulla alia antiqua, quod ſciam, integra, & quae nulla temporum labe corrupta ſit, Statua Equeſtris e marmore, praeter hanc, toto orbe exſtat.

Titulus in ſubiecta baſi inſculptus, declarat Herculanenſes publico in loco, & quidem perhonorifico, forte in Foro, ſeu potius in Theatro eam dedicaſſe Marco Nonio Balbo propter egregia eius in ſe, & in rem publicam merita. Complures cauſae dedicationis huiuſmodi Statuarum in priſcis editis titulis notantur: nempe propter eximiam virtutem, & egregia merita: ob res praeclare domi foriſque geſtas: ob illuſtria nominis, abſtinentiae, amoris, liberalitatis, pietatis, & benevolentiae monimenta, ad perpetuam futurorum ſeculorum memoriam: ob edita munera, & aedificia maximo ſumtu perfecta, ſummo municipiorum, & Coloniarum ſplendore, & ornamento publice exſtructa & dedicata: ac denique propter abundantiſſimas largitiones, ſingularemque adfectum in omnem Ordinem: ob providentiam; quod Municipibus, Colonis, & incolis in maximis periculis, in ſumma annonae caritate praeſto fuerint: ſpectacula ediderint, quibus etiam alios honores, bigas, biſellium, ſalientes in domibus aquas, locum in Theatro praecipuum, publico Senatus decreto, petente, & flagitante populo, Statuae eorum in

Fo-

Foro, in Templis, in Theatro, in Curiis, in Scholis decernebantur.

Sub Statuis Equeſtribus, pedeſtribus, togatis, paludatis, loricatis, haſtatis, galeatis, anulatis, bullatiſque tituli ſcribebantur. Hi primum apud Romanos, vigente morum ſeveriore diſciplina, & in omnibus modeſtia, ac frugalitate, admodum breves, & peculiari ſimplicitate ornati fuere; cuius exemplum habes in edito ſuperius brevi titulo C. Appii Pulchri pag. 40. & 107. mox prona in adulationem voluntate omnium ordinum ac populorum, tum Romae, tum in ſubiectis Romano Imperio Municipiis, ac Coloniis in immenſam laudum ſegetem, luxuriante eloquentia, (quod & apud nos contigit) ſenſim adoleverunt, atque encomiorum magnitudine ita laborant, ut lectores ad legendum non adliciant; ſed aut obtundant, aut repellant: adeo ſe quotidie magis magiſque per titulos memoreſque faſtos ſe extollit humana ambitio, & intolerabilis ſuperbia. Titulus iſte Equeſtri Statuae M. Nonii Balbi inſcriptus antiquum decorem ſervat, & priſci aevi ſobrietatem, & brevitate ſua multa notatu digna complectitur.

Sed antequam enucleatius hic ipſe titulus expendatur, illud praenotandum eſt, Herculanenſes Statuam Equeſtrem M. Nonio Balbo, filio M. Nonii Balbi poſuiſſe, pedeſtrem vero, & togatam eius patri. Hanc primus omnium mecum communicavit Cl. Marchio & Eques Venutus, & nuperis Epiſtolis ſuis adfirmat in hunc modum, nec aliter ſcriptam eſſe:

M. NO-

M . NONIO . M . F . BALB°
PR . PRO . COS .
D . D .

Haec togata pedeſtris Statua initio menſis Iunii anni MDCCXXXIX. iam eruta fuerat. Hanc poſtea pag. MMXXIV. num. 3. elapſis fere annis tribus, protulit Vir Celeberrimus Ludovicus Antonius Muratorius in ſuo antiquarum Inſcriptionum Theſauro, in quem & ego, ut frequenter vides, ſtipem meam permultam contuliſſe, laetor quammaxime. Ex eo diſcimus non ſolum patri, & filio Marcis Noniis Balbis; ſed & coniugi, & matri quoque Herculanenſes dedicaſſe marmoreas Statuas, ornatas hiſce caſtigatis ac brevibus titulis, quos idem Cl. Muratorius ibidem adfert, & ita ſe habent:

M . NONIO . M . F . BALBO
PATRI
D D

VICIARIAE . A . F . ARCHADI
MATRI BALBI
D D

Equeſtris vero Statua filii eiusdem M. Nonii Balbi eruta eſt circa finem anni MDCCXLVI e ruinis Herculanenſibus, poſt diſceſſum eiusdem Marchionis

nis Venuti. Neapolitani Litterati apographa ſubiecti eius tituli ad omnes amicos, & ad me quoque miſerunt; ſed tam varia, tam inconſtanti orthographia, ut de eius genuina ſcriptura adhuc incertus ſim, nec quidquam proferre audeam. Nam quum omnibus Herculaneum adeuntibus, & erutas Antiquitates luſtrantibus cum civibus, tum peregrinis prohibitum ſit deſcribere, & delineare, quae vident; nonnulli, ut puto, quae memoria excepere, ea poſtea domum reverſi ſibi amiciſque deſcripſerunt. Hinc factum eſt, ut eadem Inſcriptio diverſimode excepta, adhuc torqueat doctorum Virorum ingenia. Eam ſuperius habes propoſitam pag. 58. 61. 74. tribus plane modis, qui inter ſe valde diſcrepant.

Alio item modo exſcriptum titulum nuper primus omnium edidit, & obſervationibus illuſtravit Eminentiſſimus Princeps S. R. E. Cardinalis Bibliothecarius Doctiſſimus, Brixiae Epiſcopus, ANGELUS MARIA QUIRINUS in Epiſtola ad V. Clariſs. Geſnerum, quam operae pretium eſt heic rurſus excuſam adtexere.

Viro Clariſſimo IO. MATHIAE GESNERO
Publico Goettingenſi Profeſſori A. M. Card.
QUIRINUS. S. R. E. Bibliothecarius,
& Epiſcopus Brixien.

POſtquam ſuperioribus diebus publicandos Brixianis his typis cenſui plauſus ab Orbe literato Septentrionali editos ob vetera Monumenta, quae ex recens detecta Herculanei Urbe in Regno Neapolitano eruuntur; Te, Vir Clariſſime, Programmatis, quo in primis plauſus illi continentur, diſertiſſimum Authorem adeat, oportet, Tibique

bique inſuper inſcribatur, excavationis illius Deſcriptio meas ad manus iam iam perlata. Hocce igitur grato animo accipias, precor, munuſculum, etſi omnino impar iis gratibus referendis, quas Tibi a me deberi profeſſus ſum publico documento, literis ſcilicet ad Feverlinum Collegam tuum doctiſſimum nuperrime exaratis. Singularis etenim beneficii loco accepiſſem, me unum in Italia ab humanitate veſtra ſelectum fuiſſe, cui copia fieret eiusdem Programmatis, legendi primo, ac perfruendi; deinde vero illius communicandi cum eruditis Viris, quibus certe hac etiam tempeſtate regio noſtra abundat. Quid vero? quum Tibi praeterea viſum fuerit, iniecta ibidem mei nominis mentione, tanto me honore dignari, ut, dum legerem, in genas meas e purpura, quam gero, ruborem illabi ſtatim perſenſerim.

Pretio autem Deſcriptionis, quam confeſtim proferam, nihil decedere arbitrabor, ſi Tibi candide exponam levem aliquam offenſionem, quam mihi eiusdem exordium progignit. Memoratur in eo M. Nonius Balbus, indigitaturque abſque ulla haeſitatione Proconſul. *Inſcriptio autem, unde nomen illud hauritur, huiuſmodi eſt:*

M. NONIO M. F.
BALBO
P. R. PROC.
HERCVLANENSES
P.

haecque recitata Author Deſcriptionis ſubdit, ſiglas illas P. R. a nemine adhuc intellectas fuiſſe.

Etſi vero multum ego abſim, ut Antiquarii perſonam induam; haud diſſimulabo mihi videri, literas quoque PROC. *eiusdem Authoris, aliorumque, qui iisdem* Proconſulis *interpretationem indiderint, intellectum fugiſſe. Illas namque, potius quam* Proconſul, *interpretarer ego* Procurator; *ſiglaſque* P. R. *quae illico praecedunt, redderem, ſeu* Publicae Rei, *ſeu* Privatae Rei, *ſeu* Principis Rationis, *ſeu tandem* Patrimonii Rationis; *inſtituebantur enim a Principe Procuratores, tam publici, quam privati ſui patrimonii in Provinciis, & Urbibus, hoſque illuſtri dignitate, & magna authoritate praeditos fuiſſe innoteſcit. Inſcriptio, quam affert celeberrimus Muratorius pag.* MMXXIV. *Theſ. Inſcript. aut parum fideliter Neapoli deſcripta fuit, aut rem, de qua agitur, obſcurat potius quam illuſtrat; nam ita illa ſe habet eo loco.*

M. NONIO. M. F. BALBO
PR. PRO. COS.
D D

Aeque miror, nullam huiuſce Inſcriptionis mentionem fieri in Deſcriptione mox ſubiungenda, nec Muratorium ulla Adnotatione tenebras, quas dixi, depellere curaſſe.

Venio nunc ad DESCRIPTIONEM.

Haec quum a me ſuperius in hoc ipſo Opuſculo inter varias hominum eruditorum Notitias edita ſit pag. 85. ad eam Lectorem mitto.

Quae

*Quae quum ita ſint, nemo inficiabitur, Herculanenſem Civitatem ab inferis noſtra hac tempeſtate excitatam ſibi optimo iure eos plauſus promeruiſſe, quos Tu, Clariſſime Geſnere, edidiſti in Programmate, quo Regiae iſtius Academiae Decennalia celebraſti. Idoneis ſiquidem iam teſtibus conſtat, Herculaneum ex Veſuvii reiectamentis erutum Antiquitati, Hiſtoriae, Architecturae, literis omnibus profuturum. Quare Tibi plaudo, Orator diſertiſſi*me, *Tibi gratulor, atque Eruditis. omnibus gaudeo. Vale.*

P. S. An autem inſervire etiam poſſit figendae Diluvii Noetici epochae, id profecto affirmare non auſim, nec proinde ſuffragio meo probare, quae ea de re ſcripſit Praeſul Romanae Curiae cetera doctiſſimus, mihique, dum viveret, amiciſſimus, Franciſcus Blanchinus in libro, Hiſtoria Univerſale provata con Monumenti, e figurata con ſimboli degli Antichi. *Quo enim pacto mihi vel ipſe, vel alius perſuaſerit, certis omnino annorum periodis alligata fuiſſe ea omnia Veſuvii reiectamenta, quae Herculaneum ad inferos tandem detruſerint, ſuperaggeratis ad ſingula illa, ſeu bituminis, ſeu fractorum igne lapidum quibusdam veluti pavimentis, quorum numerus certos nos faciat, quo primum tempore Diluvii aquae terrae illius florem cooperuerint? Ex mente ſiquidem Blanchini, quandoquidem naturae opera ordine praecedunt, binaeque, ut conſtat, poſtremae Veſuvii vomitiones (copioſiores Author intelligit, pavimentis illis ſternendis idoneas) mille & ſexcentis annis abs ſe invicem abfuerunt, pronum eſt argumentari, totidem annos inter binas alias intercedere debuiſſe; atque in hunc modum earundem quotquot evenerint numerus, certo innoteſcens ex numero illorum pavimentorum, indu-*

biam reddere idoneus erit aeram oecumenicae eluvionis, cuius aquae ſuper terram pavimentis iis omnibus ſubiectam primum incubuerint, & poſtea loco ceſſerint, quo eiusdem terrae facies, ut antea, appareret. Haec omnia Blanchinus. Ego vero ab eo proditum, febrium inſtar, vomitionum illarum circuitum, parum abſum, ut fanaticum errorem putem; eoque magis, quod pro reiectae materiae copia, temporis etiam ſeu maior, ſeu minor menſura iisdem foret aſsignanda; neque etiam credo ;, certe explorari poſſe pavimentorum illorum numerum. Quare cenſeo valde humaniter Socios meos Academicos Pariſienſes egiſſe, dum relata Blanchini opinatione, prorſus ab ea taxanda abſtinuerunt.

Non parva difficultas in hoc ipſo titulo explanando in eo ſita eſſe videtur, ut certo ſciamus utrum in linea tertia inter P & R ſit punctum intermedium. Ceterum Inſcriptio Pedeſtris Statuae, quae adfertur ſupra pag. 61, & habet P. R. PROC. confunditur a pleriſque cum Inſcriptione Statuae Equeſtris, quae habet PR. PRO. COS. & iam ſupra edita eſt pag. 58. Sed torquet etiam ingenia Doctorum epigraphe adlata ſupra pag. 74. quae adpoſita Equeſtri Statuae dicitur PR. PRO. COS. C. & altera in medium adlata pag. 86. quae habet P. R. PROC. cuius notas aliqui ingenioſe explicant: *Puteolanorum Reipublicae Procuratori*, ſive *Pompeianorum Reipublicae Procuratori*. Aliqui cenſent P. R. PROC. *Populi Romani Procuratori*: alii explicant *Patrimonii Rationis Procuratori*. Adcedit explicatio Eminentiſſimi Cardinalis Bibliothecarii QUERINI; nempe *Privatarum Rerum*, ſive *Pri-*

va-

vatae Rei (erant ſiquidem in Provinciis *Privatae Rei*, ἰδίου λόγου Procuratores) *Procuratori*; de quo munere plura Pitiſcus ad titulum *Procurator Privatae Rei*; cuius exemplum habes in Gruteriano marmore pag. DXIII. n. I. nempe MACRINVM VINDICEM PR . P . R . E . V . ubi vides eum *Egregium Virum* adpellatum . In alio marmore apud Reineſium : L . PISTICVS V . P . PP . RERVM PRIVATARVM , conſpicuo titulo *Vir Perfectiſſimus* adpellatur . Sed aliud marmor exſtat in Gruteriano Theſauro p. DXIII. I. quod haec ipſa, indicata aetate , ſive tempore, antecedit (nam Antoninorum aevo ſcriptum eſt) in quo Baſſaeus Rufus PR . PR . dicitur, nempe (ni fallor) *Procurator Privatae Rei* , ſive *Privatarum Rerum*, ſive *Privatae Rationis* , cui tres Statuae dedicatae leguntur : nempe prima armata in Foro Traiani ; alia civili amictu in Templo Divi Pii , & tertia loricata in Templo , cuius nomen vetuſtas delevit . Perſimiles honores M. Nonio Balbo factos legimus ab Herculanenſibus . Nec deſunt Graeca marmora , quale illud Maſſilienſe apud Gruterum pag. CCCCLVIII. n. I. in quo habemus : ΕΠΙΤΡΟΠΟΝ ΠΡΕΙΟΥΑΤΗΣ , *Procuratorem Privatae* (ſubintellige) *Rei* . Plures alii eruditi Viri cenſent PR . PRO . COS . explicandum eſſe , *Praetori*, *Proconſuli*, quae notarum Romanarum interpretatio magis congruere cum tempori , tum eidem M. Nonio Balbo videtur . Et quidem haec munera eum ordinem ſervabant, ut qui Praetor fuiſſet , mox *Provinciae Proconſul* diceretur , uti apud Plinium Hiſt. Nat. Lib. XXXV. Capit. 7. *Antiſtius Labeo Praetorius* , *etiam Proconſulatu Provinciae Narbonenſi functus* dicitur . Obiter heic notandum eſt, perperam in Scaligeriano Indice ad

Gruterum Cap. v. notari *Praetorem Municipalem* p. CCCCXXIII. 7. & *Praetorem Municipii* p. MCXIII. 7. in Ticinenſi marmore dedicato T. Didio Priſco, quod habet: TRIB. PLEBIS. PRAETORI. MVNICIPI. PATRONO: ubi vides MVNICIPI PATRONO ſeiunctum a PRAETORI legendum eſſe. Variis hiſce opinionibus, & coniecturis expoſitis, nullum in explicatione harum notarum audeo calculum ferre, quum hae Inſcriptiones tam inconſtanter exſcriptae, & perperam confuſae ad nos pervenerint; ſed exſpectandum cenſeo, donec eaedem Statuae aereis Tabulis accurate inciſae cum titulis ad nos mittantur.

Qui nam ſit M. Nonius Balbus, tum pater, tum filius, quos Herculanenſes tam inſignibus honoris munimentis ornarunt, nec ipſi Neapolitani, nec alii Viri docti hactenus patefecerunt. Apud Dionem Lib. L. memoratum legimus Nonium Balbum Tribunum Plebis, qui egregie Caeſarem defendit, interceſſitque ne C. Soſſius, qui multa verba fecerat in laudem Antonii, & vituperationem Caeſaris, edictum contra hunc, ut ipſe volebat, confeſtim faceret. Huic igitur tantae virtutis, & claritudinis viro ſuſpicor Herculanenſes Decuriones, nempe Senatores publico decreto Statuam pedeſtrem togatam dedicaſſe, cuius Inſcriptio ſuperius adlata eſt pag. 159. At M. Nonium Balbum eius filium, cui Statuam Equeſtrem dedicarunt, crederem floruiſse Auguſto, aut Tiberio, aut Nerone imperantibus.

Dum haec typis feſtinantibus excuderentur, peropportune Vir mihi amiciſſimus, doctrina & humanitate incomparabili ornatiſſimus, a me alio in loco, ipſo permittente, honoris, & grati animi cauſſa nominandus, mittit, ſcripta Neapoli Epi-

ſto-

ſtola III. Idus Maias, hoc ipſo anno, Epigraphen recenter, regio iuſſu, adiectam Statuae Equeſtri abſolutiſſimi operis M. Nonii Balbi, cuius etiam Schema ab egregio, & eruditae Antiquitatis perito Pictore delineatum; quod flagrantiſſime cupiebam, obtulit deditque lubentiſſime; illud enixe rogans, ut in lucem primus omnium proferrem; ut Cultorum priſcarum elegantiarum favorem, & gratiam facilius mihi compararem. Morem ei gerere volui, genioque meo indulgere, ne hoc Sculptoriae artis miraculo omnium ſpes, & vota diutius fraudarem. Illud igitur tibi offero, amice Lector, duplici proſpectu delineatum. Dum ſtupendum hoc opus intueris, obſerva anulum in ſiniſtra M. Nonii Balbi manu, qua equi habenas tenet, cingulum, & balteum, qui gladium cum parazonio ſuſtinet, fibulas, quae claudunt, & aperire poſſunt thoracem. Pedes ornati caligis ſunt; lora multis ordinibus tibias cingunt, imitanturque Tyrrhena calceamenta, ut videre eſt in ahenea Etruſca Statua Muſei Florentini Tab LXXXI. Dextram adtollit ita compreſſis manus digitis, quaſi haſtam teneat, ſeu potius, ut facilius crediderim, volumen. Paludamentum faberrime abſolutum, mira artis elegantia, e dextro humero recidit, praeſertim ſpectatu dignum in eo ſinu, quem ſuper humerum ducit. Equi cauda fulcitur rudi marmoris ſuſtentaculo; rotundo vero cippulo equi corpus, & tota integri marmoris admirabilis moles innititur. Illud praeterea animadvertendum doctiſſimus Amicus monet delineatam hanc eſſe a Pictore in ima parte ſtante, & ſurſum adſpiciente; quare nil mirum, ſi in altero proſpectu manus cernitur demiſſior, in altero vero procerior, ac ſublimior. Mittit etiam

iterum antiquum elogium inſculptum marmoreae vetuſtae baſi, cui impoſita eſt Equeſtris Statua ex eadem integri marmoris maſſa confecta, quod quidem ſcriptum eſt in anteriore facie eiusdem baſis, nempe ſub facie M. Nonii Balbi, itemque eius equi, cuius forma oblonga eſt, in hunc ferme modum, lineis, litteris, & punctis optime diſpoſitis: vocem tantum HERCVLANENSES adnotat minoribus litteris conſtare. Poſt elogium ſequitur magnum vacui marmoris ſpatium, ut heic exhibetur.

M . N O N I O . M . F

B A L B O

P . R . P R O . C O S

H E R C V L A N E N S E S

Promittit ſe brevi miſſurum explicationem ſuam typis impreſſam notarum illarum P. R. PRO. COS.

quam

quam avidiſſime expecto. Interim etiam mittit eam, de qua ſupra dicebam, recenter adiectam Epigraphen, a Cl. Baiardo exaratam, cuius ſiglas ipſe nobis auctor, & interpres explanabit. In fine quartae lineae iterum videndum, ſi ſcriptum ſit DESESSO. Ea igitur haec continet:

CAROLO . BORBONIO . NEAP . ET . SIC . REGI

P . F . V . P . P

SCIENTIARVM . ET . ARTIVM . INSTAVRATORI

HERCVL . VESVVI . INCENDIO . A . V . C . DCCCXXXII . DESESSO

HISTORIA . RESTITVTA . FELIC . DETECTO

M . NONIO . M . F . BALBO . EQVESTRI . STAT

E X . S . P . Q . H . P . P . D

A . M . M . CCCC . XXXII . ID . IVN . R R . DEFOSSA

A E T E R N

§. XX. *Praeclara Herculanenſium aedificia, Porticus, Xyſtus, Gymnaſium, Curia, Ponderarium, Baſilica, Chalcidicum, Schola, & Picturae elegantiſsimae indicantur, & illuſtrantur.*

QUamquam Viri eruditi, qui Admiranda Antiquitatum Herculanenſium viderunt, & obſervarunt, tam breves, & parci in adlatis Deſcriptionibus fuerint; tamen ex his intelligimus, Herculanenſium Municipium praeclaris aedificiis fuiſſe ornatiſſimum. Cl. P. Paciaudius in NOT. XVI. pag.

pag. 67. & 68. adnotat aedificia, quae inventa ſunt, eſſe mirabilis ſtructurae, & amplitudinis, Architectonicis artibus, & ornamentis inſignia, licet pleraque iam diruta. Ex ſequenti Not. xvii. pag. 72. habemus pictas Tabulas nobiliſſimas ſectas fuiſſe e parietibus aedificii concamerati peramplae Porticus, ſive Atrii. Gymnaſium apud Herculanenſes, & Xyſtum fuiſſe ex his coniicio, in quibus iuvenes non ſolum corpore, ſed & Philoſophi, Oratores, & Poetae exercerentur. Conſtat haec aedificia Statuis, & Picturis fuiſſe ornatiſſima; quod ſi probare vellem, lucem luci adderem, & longis ambagibus me tempus fallere merito aliqui cenſerent.

Perſpicuum quoque apud Herculanenſes praeter privata, alia fuiſſe publica Aedificia ſpectatu digna: ea vero quae fuerint, diſcimus ex vetuſto monumento, quod primus omnium protulit Iulius Caeſar Capacius Lib. iI. Hiſt. Neapol. Cap. ix. & ex eo Reineſius Claſſe vii. num. xv. pag. 484. quod luculenter explicat: licet vero effoſſum dicatur Heraclanei, ſive Pompeiis, ad radices Veſuvii; perlubet ad Herculanenſes, quorum urbs priore loco nominatur, referre; quamquam non dubitem eadem Aedificia apud Pompeios fuiſse: quae Municipia, & Coloniae Romanorum ad exemplum aeternae Urbis habere ſolebant. Ea Inſcriptio ita ſe habet, in qua uſitata Decretorum formula compendiariis litteris expreſsa: D. E. R. I. C. ſignificat: *De Ea Re Ita Cenſuerunt*.

PRI-

PRIDIE . K . MARTIAS . IN . CVR . SCRIBENDO . ADFVERE
CVNCTI . QVOD . VERBA . FACTA . SVNT . M . M. MEMMIOS
RVFOS . PAT . ET . FIL . ET . VIRI . ITER . PEQVNIA . PON
DERALI . ET . CHALCIDICVM . ET . SCHOLAM . SECVNDVM
MVNICIP. SPLENDOREM. FECISSE. QVAE . TVERI. PVBLICE
DECRETO . D . E. R . I. C . PLACERE . HVIC . ORDINI . CVM
M . M . RVFI . PAT . ET . FIL . II . VIR . ITER. IN . EDENDIS
MVNERIBVS . ADEO . LIBERALES . FVERINT. VT. EORVM
MONVMENTA . DECORI . MVNICIPIO . SINT . ADEO . DILI
GENTES . VT . VITIEIS . PONDERVM. OCCVRRERINT. IDQ.
IN. PERPETVVM. PROVEDERINT.PLACERE.DECVRIONIB.
M . M . MEMMIOS . RVFOS . PAT . ET . FIL . DVM . II . VIVE
RENT . EORVM . POS . . . . M . ET . SCHOLA . ET . CHALCIDI
QVAE. IPSI. FECISSENT . PROCVRATIONEM. DARI . VTIQVE
SERVOS . EIVS . . . . MPIVS . EST . . . . NEGOTIO . PRAE
PONERENT . NEQVE . INDE . ABDVCI. SINE. DECVRIONVM
DECRETO . ET . M . M . MEMMIIS . RVFIS . PAT . ET . FIL
PVBLICE . GRATIAS . AGEI . QVOD . ITERATIONI . HONORI
EORVM . NON . AMBITIONEI . NEQVE . IACTATIONI . SVAE
DEDERINT . SED. IN . CVLTVM . MVNICIPI. ET. DECOREM
CONTVLERINT

In tertia linea, ubi legitur: ET . VIRI . ITER. ſcriptum eſſe cenſeo II . VIRI . ITER . *Duumviri ite-*

ri iterum : quae lectio ex ſeptimo verſu clarius elucet. In 3. & 4. PONDERALE legit Reineſius, pro PONDERALI, ad ſervanda pondera. In linea 13. in qua expreſſum eſt : EORVM. POS.... Reineſius reſtituit : EORVM. PONDERVM. ET. SCHOLAE. ET. CHALCIDICI. QVAE &c. ſuſpicor forte PONDERALIS, ut ſuperiori vocabulo reſpondeat, ſive PONDERARII. Erat quippe Ponderarium locus publicus, in quo pondera iuſta, ac legitima, & probata ab Aedilibus, vel Praetoribus, tum Romae, tum in Municipiis cuſtodiebantur, quorum ad exemplum reliqua, quae in uſu erant, & ab omnibus adhibebantur, confecta erant, ut fraudes omnes, doli, & iniquae artes tollerentur. Qui his praefecti erant, Ζυγοςάται, *Libripendes* dicebantur : & tales fuiſſe apud Herculanenſes colligimus ex hoc monumento, atque etiam ex edito Nolanorum marmore apud Gruterum pag. MCXV. I.

Fuit igitur apud Herculanenſes Ponderarium : adde & Baſilicam, quam ſupponit Chalcidicum, quod aedificium erat in extremis Baſilicarum; quod ſi locus amplior eſſet, in longitudinem ſtruebatur, ut docet Vitruvius Lib. V. Cap. I. Deambulationibus, ut aliqui putant, erat deſtinatum; illudque ita dictum exiſtimant, quod Romani eius exemplum a Chalcide nobili Euboeae urbe acceperint, quum antea illas ſimpliciore opere aedificarent; vel quia, quod tranſverſum patebat, ſummi eſſet & inuſitati ornatus, uti Chalcide fieri mos erat. Baſilicarum partem eſſe Chalcidica, nemo eſt qui neget. Quam magnifice ornari ſolerent haec aedificia, colligi poteſt ex Arnobio Lib. IV. contra Gentes, qui ait : *Scribuntur Dii veſtri in Tricliniis caeleſtibus, atque in Chalcidicis*

cis aureis cenitare. Plura ſi cupis vide Reineſium in Var. Lect. iiI. Cap. v. pag. 419. Donatum de Urbe Roma Lib. iv. Cap. iiI. & alios quos Pitiſcus enumerat.

Praeter Ponderale, Baſilicam, & Chalcidicum, fuit etiam Schola apud Herculanenſes, nempe, ut explicat Reineſius, Porticus otioſorum deambulationibus, & confabulantium ſtationibus adcommodata. Sed Scholarum multiplex uſus fuit, quem ex vetuſtis Lapidibus, & Scriptoribus, ſi longius vagari cuperem, oſtendere poſſem. Igitur quia Marci Memmii Rufi pater, & filius ſplendidiſſima haec Aedificia ſuis ſumptibus in cultum, & ſplendorem Municipii Herculanenſis exſtruenda curarunt; viſum eſt Decurionibus in Curia congregatis Decreto ſancire, ut ipſi, quoad viverent, publicis ponderibus praeeſſent, & ponderum vitiis occurrerent; ipſique, utpote qui publice opera locaſſent, fecisſent, probaſsentque, eorum Curatores conſtituerentur, & eorum arbitrio procuratio Servis daretur. Inſuper etiam decreverunt, ut iisdem Memmiis gratiae agerentur, quod haec praeclara Aedificia conſtituiſsent, munera, nempe ludos gladiatorios, ſpectacula, & certamina Theatralia, ſplendide edidiſsent, urbis decus, & ſplendorem auxiſsent, & iterum Duumviratus honorem ſine ambitione, & iactatione ſuſcepiſsent.

Igitur in Curia Decuriones Herculanenſes convenere, & ſcribundo huic publico Decreto cuncti adfuerunt. Verba in Senatu facta ſunt, commemoratis maximis beneficiis, quae ſplendidiſſimi Viri Memmii Rufi Herculanenſi Municipio, civibus, & incolis fecerunt, ſecundum ſplendorem, & claritudinem tantae Vrbis; quae quidem qualia, & quanta fuerit, & quam praeclarae dignitatis,

tatis, & gloriae, ex hoc publico Decreto Decurionum Herculanenſium cumulatiſſime elucet.

Laudatur eorum in cives caritas, amor, benevolentia: eorum domus magnificentia, quod praeclaris Aedificiis Municipium ornarint, quae enumerantur: quod in edendis in Theatro muneribus liberales fuerint: valde etiam diligentes praedicantur, quod vitiis ponderum iniquorum occurrerint, & in perpetuum providerint; quod iterum Duumvirale decus, poteſtatem, & ornamenta bono Reipublicae ſuſceperint, & ſine ambitione, & iactatione omnia haec in cultum, & honorem eiusdem Municipii Herculanenſis contulerint.

In Senatu Herculanenſium, qui verba faciebant, duo eſſe ſolebant, Claudio Caeſare imperante; quod docet ahenea inſignis Tabula Herculanei inventa, primum edita a Capacio Lib. II. Hiſtor. Neapolit. Cap. xx. a quo accepit Reineſius Claſſ. VII. num. XI. mox, ſed longe emendatior a me vulgata inter Donianas Claſſ. II. num. 66. Ex eadem Tabula habemus etiam, in Senatu Herculanenſi conveniſſe ad decernendum, cenſendumque Senatores trecentos octuaginta tres; qui numerus docet, quem ingens, locuples, & populo frequens fuerit hoc Municipium.

Ex Tabulis Ancyranis apud Gruterum, praeſertim ex quarta edita pag. CCXXXII. I. diſcimus, quo ordine haec aedificia ſita eſsent: legitur enim pone Curiam, quae in Foro erat, fuiſse Chalcidicum, & non longe Numinum Templa. Curiae a nomine Conditorum, ſive eorum, qui eas eximiis ornamentis inſtruxerant, & locupletaverant, cognominari ſolebant. Ita Puteolanorum Curia *Auguſtea*, primo loco honoris cauſa, dicebatur; quia

Au-

Auguſtus Nolam Coloniam deduxit : ſecundo *Anniana*; quia ex *Annia* gente , quae ut ſupra obſervavimus , locupletiſſima , & magni nominis , & claritatis fuit apud Neapolitanos , Nolanos , & Herculanenſes , aliqui eam vel a ſolo aedificandam curarunt , vel inſtaurarunt , multiſque ornamentis elegantiore cultu nobilitarunt . Id teſtatur Tabula adlata in Gruteriano Theſauro pag. CCCLV. I. in honorem L. Annii Modeſti , cuius Statua ponenda loco adſignato a Duumviris Puteolanis probatur : & Decretum , cui ſcribundo adfuerunt quatuor Viri , qui nominantur , factum dicitur K . IVN . IN CVRIA . AVGVST . ANNIAN . nempe *in Curia Auguſtea Anniana*. Piſanorum Curia , in qua Decuriones , nempe Senatores conveniebant , ac Decreta condebant , quia Piſas Coloniam Auguſtus deduxit , dicitur AVGVSTEVM , ex eius nomine : ita enim ſcriptum in Cenotaphio Caii Caeſaris : PIsIs . IN . FORO . IN . AVGVSTEO . SCRIB . ADFVER . h. e *Scribundo adfuerunt*. Smetius credidit Puteolanam Tabulam , quae olim exſtabat in domo quadam Ioannis Ioviani Pontani , eius eſse commentum , ac perperam exſcriptam ; ſed abſit , quod Pontanum virum de litteris praeclariſſime meritum , earumque dignitatis , & gloriae reſtitutorem celeberrimum , credam Antiquitatis corruptorem , atque impoſtorem .

Alterum aedificium Auguſtalibus Herculanenſibus datum indicat antiqua Inſcriptio Herculanei effoſsa , quam ex Capacio Lib. II. Hiſtor. Neapolit. Cap. IX. (hunc librum in Florentinis locupletioribus Bibliothecis Magliabechia , Giraldia , PP. Servorum B M. V. & Stoſchia invenire non potui) adfert Reineſius in Claſse II. Operum Publicorum

num.

num. XXXIII. quae haec tantum, reliquis iniuria temporum deletis, ſervat:

. . . . . O . D . LOCVM . AB . INCHOATO

. . . . . VM . TECTORIS

AVGVSTALIB . DATVM

Diſcimus tamen aedificium illud tectorio opere exornatum, datum fuiſse Auguſtalibus Herculanenſibus. Valde diſplicet rariſſimum Hiſtoriarum Librum egregii Iulii Caeſaris Capacii invenire heic non potuiſse, quum multa alia adferat monumenta eruta in hiſce Urbibus Campaniae, Veſuvii incendio, vel terraemotibus ſepultis, praeſertim apud Stabias.

Alteram quoque inſignem Inſcriptionem adfert idem Capacius Lib. I. Hiſtoriae Neapolitanae Cap. XXI. qua innoteſcit, Herculanenſes, ut gratos ſe oſtenderent nobiliſſimis Memmiis Rufis, eis conceſſiſse, ut publicam aquam non fluentem tantum per formas acciperent, ſed & ſalientem imitatu ſalientium publicorum honoris cauſa in ſuis aedibus haberent. Eandem Inſcriptionem adfert Reineſius praelaudata in Claſse II. num. XXIX. eamque doctiſſimo ſuo Commentario illuſtrat, e quo, ne longior ſim, pauca haec delibaſse ſufficiat: *Fragmentum hoc pertinet ad Marcos Memmios Rufos, Patrem, & Filium, II Viros in Municipio Herculaneo Neapoli vicino, quos Decuriones Coloni, & Incolae ob benevolentiam adverſus ſe, ob merita de Municipio, & munera ſplendide, liberaliterque edita, ſingulari adfectu, gratiaque proſequuti ſunt; quam Decreto marmori inſcripto firma-*

matam produco num. 15. Claſs. VII. Illud ipſum eſt, quod in hoc ipſo Programmate initio protuli. En ipſum marmor, ad quod haec Reineſius adnotavit:

. . . .

ET · PATER · ET · FILI . . . . . M · SALIEN

DAMQVE . . . .

TERTVLLA RESTITVIT

Neapoli exſtare apud M. Antonium de Cavaleriis adfirmat. Picturae inventae in Herculanenſibus egeſtionibus, cui nam ex his aedificiis conveniant, periti rerum antiquarum optime per ſe vident. Non dubito picturis ornatam Porticum, Gymnaſium, Chalcidicum, Scholam, quod etiam ex aliis editis monumentis colligimus: quae cum obvia ſint, ne Lectorum aures inutiliter obtundam, repetenda non arbitror. Ex adlata Inſcriptione, quam Capacius, & Reineſius Herculanenſibus adſcribunt, adnotare lubet, apud eos fuiſſe Aquaeductus, Thermas, Piſcinas, & ſalientes tum publice, tum privatim aquas, quod ex iiſdem Scriptoribus, & vetuſtis Saxis colligitur.

§. XXI. *Preſtantes Artes, Pictura, Sculptura, Architectura, Fuſoria, Plaſtice, earumque Artifices, multa nominis gloria apud Herculanenſes floruiſſe, oſtenditur.*

NOſtra aetate novam Cultoribus praeclariſſimarum Artium Scholam, ſaeculis omnibus memoratu dignam, aperuit antiquum HERCVLANEVM, in quo praeſtantium Artificum, Pictorum, Sculpto-

rum, Architectorum, aliorumque Opificum admiranda opera, quae tam diuturnis temporum tenebris oppreſſa delituere, nobis, Deo volente, patuerunt. Primum in Italia rudes artes, rudia & informia fuere opera, atque ingenia Artificum; ſed poſtquam Demaratus e Corinthius Cypſeli factionem fugiens, ex Dionyſ. Halicarnaſ. Ant. Rom. Lib. I. Romam ſecum duxit egregios Pictores, Sculptores, Architectos, Vaſcularios, & callentiſſimos Fuſoriae artis Magiſtros; adeo apud Italos eaedem artes floruere, tamque felici progreſſu ſenſim ad ſummum elegantiae, dignitatis, pulchritudinis, & ſymmetriae faſtigium pervenere, ut Italica, & Tuſcanica opera Graecorum laudem vel aequarint, vel facile etiam in multis ſuperarint. Tam felicibus auſpiciis reſtitutae artes in Italia, ac mirum in modum auctae excultaeque in Etruria noſtra (quod iam in meo Muſeo Etruſco oſtendi) per multa ſaecula Scholae, atque Officinae perdurarunt, creveruntque ruſus eo magis tunc quum e Graecia a victoribus Romanis ducta atque evocata Artificum ingenia, magnis quoque praemiis, & laudibus excitata ſunt; quum Itali, ac praeſertim Etruſci, Siculi, & magnae Graeciae populi, laudis & gloriae flagrantiſſimi ſemper fuerint; nec niſi ad magna, atque ardua capeſſenda nati, ac caelo ipſo impellente, & favente educati multis laudibus praedicentur.

Picturarum antiquarum monumenta perpauca Romae, quae Artium omnium ſedes & domicilium fuit, hodie ſpectantur; quum tamen infinita paene fuerint praecellentiſſimorum Pictorum opera Auguſteo aevo potiſſimum abſoluta, quae a Plinio memorantur. Nunc vero HERCVLANEVM tot Tabulas mira arte, ſtudio, ac diligentia pictas oſtendit, ut hae ſolae longo ordine ac ſerie diſpoſitae, regium

Mu-

Muſeum, & Pinacothecam conficiant adeo mirabilem, ut qui vident, ultro fateri cogantur, toto terrarum orbe nil maius, nil pulcrius, auguſtius, nilque praecellentius, & copioſius ad haec uſque tempora viſum eſſe. Mire adliciunt, oculos implent, rapiuntque omnium animos figurae eximiis lineamentis expreſſae, tot colorum, ſymmetriae, elegantiae, artiſque gratiis, & lenociniis omnibus diſpoſitae, ut hinc multa diſcere Pictores noſtri poſſint. Colores ubique florentes, mirumque in modum vividi, tot ſeculorum pugnantium iniurias vicerunt, primumque lucis & vitae decus, quod a praeſtantiſſimis Pictoribus acceperunt, adhuc mirifice aeviternum oſtendunt: eoque magis quod iidem nitidi colores, ne aëri expoſiti evaneſcant, ſuperillito quodam tenuiſſimi coloris, vulgo *vernice*, artificio recenter invento, mirifice perennant, perſtant, ac ſervantur, quod ſupra pag. 47. indicatum eſt.

Pictorum nomina, qui has inſignes Tabulas pictoſque parietes ad aeternitatem nominis ſui perfecerunt apud Herculanenſes, nos adhuc latent. Sed ſi aliae in ipſis Herculanei ruinis egeſtiones terrae accurate deinceps fient, ut auguror, facile eſt, quod aliquod monumentum publice ipſis poſitum ab Herculanenſibus, in apricum prodeat, eaque nobis innoteſcant. Si iidem Herculanenſes in ornandis privatis aedificiis, & praeſertim Sepulcris, tam cupidi fuere elegantiae, ſplendoris & magnificentiae, ut oſtendunt pictae ferarum pugnae, tigres vitibus inhiantes, capita Faunorum & Gorgonum, & Bacchi pueri fabula, qui a Mercurio ad Leucotheam ducitur, eique traditur ad educandum, quam ſuperius expendi, ex Herculanenſi Sepulcro deſcripto in Not. v. pag. 46. &

 47.

47. credibile eſt longe ſplendidiores & accuratiores fuiſſe in publicis aedificiis ditandis ornandiſque elegantiſſimis picturis, nempe Templis Deorum, Theatro, Gymnaſio, Curia, Chalcidico, Baſilicis, ceteriſque auguſtioribus Urbis locis, quae in ſuperiore §. XX. deſcripſimus. Illud in ornandis aedibus, ac publicis aedificiis maximo ſtudio curare Veteres ſolebant, teſte Plinio Hiſtor. Nat. Lib. xxxv. Cap. 10. ut picturae locis aptiſſime reſponderent, & ſpectantium mentem non ſolum laetitia perfunderent; verum ad pietatem inſtruerent, & ad aemulandam Heroum, & illuſtrium Virorum gloriam, & res praeclare ab eis geſtas, excitarent, atque accenderent. Deorum nativitates, educationes, peregrinationes occurrunt in Herculanenſibus picturis: Iupiter a Capra Amalthea lactatus: eiuſdem Iovis partus & puerperium, a quo editus eſt Bacchus: iudicium Paridis: Mercurius, quod infrequens eſt, tibiis canens, quae multa iucunditate animos intuentium exhilarant. Templum Herculis apud Herculanenſes his picturis ornatum eſt, quas deſcripſimus in §. XIV. pag. 129. & 131. quae eius geſta, comitumque eius Theſei, & Telephi filii referunt. In alia Tabula, ſpectantibus Diis, Hercules infans, ſerpentes a Iunone immiſſos, manibus contortos ſtrenue ac viriliter comprimit, & occidit. Picta ſacrificia, quae deſcribuntur in Not. xv. praeſertim illud Aegyptiacum, ut memorant, ſpectantium Ethnicorum mentes ad pietatem inſtruebant, atque erigebant. Opera Architectonica permulta, exquiſita arte picta, egregie obſervata in memorata Not. xv. pag. 64. & 65. & xvii. pag. 72. Gymnaſiis, Porticibus, Baſilicis, aliiſque publicis aedificiis conveniunt, in quibus Athletae exercebantur, vel deambulantium coetibus exhilarandis maxime

con-

conveniebant. Iam his picturis quatuor magnas aulas pictas, ſive Porticus eruditi Obſervatores deſcripſerunt, ut exhibet adlata Not. xv. pag. 64. Quanta, Deus immortalis! docebunt picta opera Architectonica, praeſertim conlata cum praeſcriptionibus Vitruvianis, columnae, capituli, baſes, paraſtatae, epiſtylia, zophori: quanta & quam mira ad Proſpectivae elegantiam & concinnitatem! Tunc exhibitis nobis horum operum figuris, aereis Tabulis accuratiſſime expreſſis, quae nunc nos latent, obſervare diligenter poterimus, & picta opera cum ſculptis operibus, & Architectonicis regulis, variſque ornamentis conferre: & quae iam obſolevere, nec in uſu noſtrorum quorumdam Chimaericorum Architectorum ſunt; ſed eorum plerumque inſano ingenio creantur, his archetypis vetuſtiſſimis perſpectis, mirae voluptatis delicias, recentia cum antiquis conferentes, omniaque accurate obſervantes, deguſtabimus.

Ex adlatis Deſcriptionibus praeter Picturam, & Architecturam, quantopere apud Herculanenſes floruerit Statuaria, ſatis ſuperque oſtendit, praeter ſimulacra Deorum praecellentiſſimi operis, item Caeſarum & illuſtrium Virorum ſtatuas, ex aere, atque e marmore inſignes, Equeſtris ſtatua M. Nonii Balbi, quae artis portentum uno omnium ore cenſetur, & praedicatur. Nihil dico de Statuis coloſſeae magnitudinis memorandis, quae ſpectantium oculos ſtupore, & mira voluptate perfundunt. Elucet etiam ex Statuis ex aere, ex quadrigiis, aliiſque ex aere operibus, vaſculis, tripodibus, urceis, candelabris, pateris, quae in Not. xvi. & xvii. deſcribuntur, quantum apud Herculanenſes Flaturarii Artifices, & Bractearii, qui opera ex aere egregie inaurabant, excelluerint. His adde peritiſſimos

Scriptoriae artis Opiſices, qui aheneas litteras, magnitudine, elegantia, & concinna proportione inſignes perfecerunt, quae in marmoreis titulis honorariis illuſtrium Virorum praefigerentur, atque in earum ſulcis interſererentur; quae accuratae deſcribuntur in Not. xv. pag. 65. & 66. Has honoris cauſa in Elogiis poſitas, auro contectas fuiſſe, non dubito. Rariſſimum hoc, & valde memorandum Vetuſtatis monumentum, integrum nempe, atque etiam abundans Antiquorum Alphabetum, Regis tantum utriuſque Siciliae fortunatiſſimi Muſeum celeberrimum iactat, eoque valde ſuperbit.

Officinam celebrem Vaſculariam apud Herculanenſes fuiſſe, ad Vaſa tum ex argilla, tum ex aere conficienda, ſuſpicantur aliqui, ex his quae narrantur pagg. 69. 73. & 88. quamvis aliud indicare poſſit panis (ſi tamen panis fuit) inventus, ut aiunt, iam ſemiuſtus in cratere ſive lebete. Forſitan & vitreis vaſculis conficiendis, quae non parva copia inventa ſunt, de quibus pag. 63. in Not xiv. multum laudati fuere apud Herculanenſes Vitrarii Artifices, ni ad eos ex alia regione vitrea vaſa advecta dicamus. Vtrum opera antiqua ex ebore, inventa apud eos ſint, ignoramus; ſcimus tamen magno ea in pretio apud Antiquos fuiſſe.

Plaſticae etiam artis peritiſſimi alii apud Herculanenſes fuere; nam plaſtico opere columnae duae ad ornatum inventae ſunt ex Not. iv. pag. 45. & 46. perelegantibus ſtriaturis inſignes.

Nihil dico de Fabris Ferrariis, Murariis, Structoribus, deque eorum Collegiis, quia mihi documenta non ſuppetunt; aliorum tamen Municipiorum exemplo non dubito complurium Artificum Collegia apud Herculanenſes fuiſſe. Curatores Aquarum, Aquilegos, Fiſtularios, quibus ſalientium

aqua-

aquarum cum publice, tum private cura demandata erat, inter eos locum habuiſſe, docet marmor ſuperius adlatum in §. XX. pag. 177. Illud etiam ſilentio minime praetereundum, fuiſſe apud eos egregios Muſivarios Opifices, & Pavimentarios; nam pavimenta pulcherrima multis figuris ornata, & parergis, quae etiam divini Homeri hiſtorias, & Heroum errores & geſta referebant, in ipſis picta Muſivo opere memorantur in Not. xix. pag. 75. & xxii. pag. 100. quae omnia Herculanenſium politiſſima ingenia, Municipii opes, nobilitatem, potentiam perſpicue oſtendunt, ac teſtantur; vel ſi hos Artifices nolimus admittere fuiſſe Herculanenſes, ſed peregrinos adcitos; tamen maxima apud eos nobiliſſimarum artium ſtudia, ſummam in iisdem Opificibus undique adcerſendis convocandiſque ſolicitudinem fuiſse, magniſque praemiis Herculanenſes has artes & Artifices aluiſſe, fateri cogemur.

Supereſt, ut nonnulla etiam de Mercatoribus Herculanenſibus dicamus. Ex Tabula ahenea celebri in ruinis Herculanei olim inventa, quae primum a Capacio adlata eſt Neapol. Hiſt. Lib. iI. Cap. 9. mox ex eo a Reineſio Claſs. vii. num. xi. tandem a me inter Donianas ex eiuſdem Donii Schedis accuratius, & emendatius prolata, conſtat edicto Claudii Caeſaris vetitas fuiſſe apud Herculanenſes iniquas venditiones, foedaſque emptiones operum, quae inter ornamenta publicorum aedificiorum, domuum, & villarum cenſebantur, inlata poena, ut qui ea aedificia dirueret, & ex eis ad cultum ſpectantia emeret, venderetque, duplam pecuniam ſolveret, quae in Aerarium Herculanenſium inſerretur. Decretum iſtud Claudii Auguſti promulgatum in Curia a Senatoribus Herculanenſibus, qui cccLxxxiii. adfuerunt, vi. Non. Martias, oporteret ut heic iterum profer-

rem ; ſed ne taedio benevolum Lectorem adficiam, ad memoratos Antiquarios mittere ſatius exiſtimo. Iſtud edictum, promulgatum eſt Romae x. Kal. Octobr. Hoſidio Geta, & L. Vagellio Coss. ann. V.C. 800. vel ſequente, qui Suffecti fuere (hos praeterit Muratorius) a Claudio Imperatore, qui etiam una die xx Edicta promulgavit, & Cenſoria pollens dignitate, curam & cuſtodiam ſuam publicorum, ac privatorum operum toto orbi patefecit. Verba in Senatu Herculanenſi fecere Voluſius, & P. Cornelius. Quum ea tempeſtate celebris eſſet apud Herculaneum in proximo mari Portus, in quo teſte Dionyſio Halicarnaſſenſi, Romanorum naves ſtationem habebant: mirandum non eſt ſi tantis opibus florerent Herculanenſes, mercaturae operam dantes, inito prolatoque cum exteris populis commercio: eoque magis corruit Camilli Peregrinii & Petri Laſenae opinio, qui eos vix tanti fuiſſe dixerunt, ut nedum Theatrum haberent, ſed nec Theatrales ſumtus, ludos Scaenicos & Gladiatorios, aliaque ſpectacula ſuſtinere potuerint; quod falſum eſſe iam horum monumentorum ope oſtendimus.

§. XXII. *Adfertur & expenditur marmor Gruterianum in honorem L. Munatii Conceſſiani, in quo memoratur REGIO PRIMARIA HERCVLANENSIVM. Quae nam fuerint Fratriae Neapolitanorum celebriores.*

QVaerenti mihi in Gruteriani Theſauri Capite x. in quo Regionum, Populorum, & Oppidorum nomina, aliaque Chorographica recenſentur, ſi HERCVLANEVM in vetuſtis marmoribus iam editis memoraretur, occurrit pag. ccccxxxix. 6. marmor Neapolitanum, in quo REGIO PRIMARIA SPLENDI-

DIS.

DISSIMA HERCVLANENSIVM nominatur, quod G. Fabricius exſcripſit, & Herculanio Neapolim delatum eſſe ſcribit Capacius Hiſt. Neap. Lib. 1I. Cap. 9. Ipſum marmor haec habet:

L . MVNATIO . CONCESSIANO . V . P . PATRONO
COLONIAE . PRO . MERITIS . EIVS . ERGA . CIVES
MVNIFICA . LARGITATE . OLIM . HONOREM . DEVITVM
PRAESTANTISSIMO . VIRO . PRAESENS . TEMPVS
EXEGIT . QVO . ETIAM . MVNATI . CONCESSIANI
FILI . SVI . DEMARCHIA . CVMVLATIORE . SVMPTV
LIBERALITATIS . ABVNDANTIA . VNIVERSIS
ſic EXIBVIT . CIVIBVS . OB . QVAE . TESTIMONIA
AMORIS . SINCERISSIMI . REG . PRIMARIA . SPLEN
DIDISSIMA . HERCVLANENSIVM . PATRONO
MIRABILI . STATVAM . PONENDAM . DECREVIT

Gruterus putat e Graeco elogio in Latinum verſum eſſe. Promiſeram ſupra in §. VII. pag. 15. me adlaturum hoc ipſum marmor, in quo multa ſunt, quae mihi ſcrupulos ingerunt: ideoque cupiebam ut Viri docti Neapolitani archetypum conſulerent, & multa quae ſcire volebam, elucidarent; quod haud, invento marmore, facere non potuerunt: quum marmora frequenter ſedes ſuas mutent; quod plerumque officit tum Hiſtoriae, tum veritati. Redolet ipſum marmor non Auguſteum aevum, ſed inſecuta tempora; diſcimus tamen forte Neapolim, Romae exemplo, in plures Regiones diviſam fuiſſe, cuius Regio fuit haec Herculanenſium. In aliio marmore eiuſdem Gruteriani

The-

Theſauri pag. ccccxxx. num. 6. memoratur eadem honorifica adpellatione V. P. nempe *Vir Perfectiſſimus*, Alſius Licinius Patronus Coloniae Neapolitanae, cui, ut videtur, ſtatuam poſuit REGIO THERMENSIVM. Aliam Regionem expiſcatus eſt Reineſius ex Capacio Lib. I. Cap. VIII. adlato Neapolitano marmore mutilo, in quo AGATHONENSES, qui Regionem ita adpellatam incolebant, honorant Cominium: ubi Reineſius emendat Capacium, qui ſe reperiſſe putat Agonothetam, haec ſubdens: *Sed immane quantum fallitur. Recta enim lectio eſt AGATHONENSES, qui ſunt Vicani eiuſdem Vici Neapoleos, proinde ac* Thermenſes, *quorum Regionem nominat lapis Neapol.* 6. ccccxxx. *&* Herculanenſes *in* 6. ccccxxxix. *& hinc intelligamus Cominio iſti memoriam poſuiſſe* Agathonenſes, *certae Regionis in Vrbe Neapoli incolae*. Quamvis igitur ad ipſos Municipes & Cives *Herculanenſes* non ſpectet adlatum marmor L. Munatio Conceſſiano cum Statua poſitum; tamen hinc diſcimus unam ex Regionibus Neapoleos ab Herculanenſibus nomen accepiſſe. Forte hae Regiones Neapoleos, dictae *Herculanenſes*, *Thermenſes*, *Agathonenſes*, eiuſdem Vrbis Fratrias complectebantur, quas memorat Strabo Geograph. Lib. v. pag. 246. ubi de Neapolitanorum inſtitutis, origine, & moribus diſſerit: quod ut expenderem, fecit Vir Doctiſſimus Eduardus Corſinius in Diſſertatione IV. ex Agoniſticis, in qua eiuſdem Strabonis locum pag. 105. adfert, expendit, egregie illuſtrat, confirmatque adlato hoc marmore Neapolitano ex Reineſio Claſs. I. num. 156.

EY-

ΕΥΜΗΛΟΝ ΘΕΟΝ ΠΑΤΡΩΟΝ
ΦΡΗΤΟΡΣΙΝ ΕΥΜΕΛΕΙΔΩΝ
Τ. ΦΛΑΥΙΟΣ ΠΙΟΣ
ΦΡΟΝΤΙΣΤΗΣ ΑΝΕΘΗΚΕΝ
ΣΥΝ. Τ. ΦΛΑΥΙΩΙ ΤΕΚΝΩΙ

Hoc eſt: *Eumelum Deum patrium Phratoribus Eumelidarum T. Flavius Pius Curator dedicavit* una *cum T. Flavio filio* ſuo. Petrus Laſena antiquum Gymnaſium Neapolitanorum illuſtrans Cap. x. pag. 229. hos Herculanenſes dictos cenſet a vicinia, quae ab Hercule nomen acceperat; & mox ſe plura de Fratriis adlaturum in alio opere promittit. Perperam ad haec ſcribit adlatum marmor L. Munatii Conceſſiani tributum fuiſſe ipſis Herculanei Municipii civibus & incolis.

§. XXIII. *HERCVLANEI antiquus & recens ſtatus deſcribitur. Villa Regis cur a Porticibus dicta: Regium Muſeum laudatur.*

PRomiſeram in fine §. VIII. me dicturum de Villis Romanorum in viciniis HERCVLANEI; ſed quia de his praeſertim Campanis, luculenter agit Georgius Greenius, Lectorum aures repetitis aliorum adnotationibus non obtundam; ſed ut eum adeant, rogabo in Tom. I. Sallengriani Theſauri. Villam ſive rus Ciceronis ſilentio minime praeteribo, quod Pompeianum dixit, quod proximum Pompeiis eſſet, non longe etiam ab Herculaneo, per quod oppidum tranſire, & morari idem Cicero interdum ſolebat; uti ipſe teſtatur in Epiſtola III. Lib. VII. ad Atticum. *Ad.* VIII. *Id. Decembr. HERCVLANEVM veni, & ibi tuas litteras legi, quas Phili-*

ti-

timus mihi reddidit; e quibus hanc primo adſpectu voluptatem cepi, quod erant a te ipſo ſcriptae: deinde earum accuratiſſima diligentia ſum mirum in modum delectatus &c. Accuratiores editiones, quae ad hoc tempus prodiere (omnium longe emendatiſſimam, atque abſolutiſſimam immenſo labore, diuturnis aerumnoſisque conlationibus iam paratam brevi a Clariſſimo Viro Hieronymo Lagomarſinio Soc. Ieſu Presbytero, in lucem miſſam ſperamus) habent Hercvlanvm, eoque modo, & recentes Scriptores doctiſſimi, qui nuper eius mentionem fecere, perperam nominarunt; ſed editi a nobis lapides, & alia documenta perſpicue oſtendunt, ſcribendum eſſe Hercvlanevm.

Praeter praedium Pompeianis vicinum & Villam, quam habuit Cicero, cuius meminit in Epiſtolis ad Atticum 17. 18. & 19. Lib. xiv. inter alias plures eminebat rus Puteolanum, quod nomen a vicinis Puteolis accepit, & littori impoſitum fuiſſe videtur. Habuit etiam Trebulanum inter Capuam & Sveſſulam; Cumanum quoque rus ad lacum Lucrinum poſitum, & Formianum in medio oppidorum Caietae & Formiarum ſitum, ſignis ornatum, locorum amoenitate, villarumque frequentia laudatiſſimum. Sed inter memoratas, quas in Campania habuit, Puteolana Villa principem locum obtinuit, in qua fuit eius Academia, quam inſigni Bibliotheca, multiſque marmoreis ſignis, e Graecia ab Attico miſſis, exornavit; quam veluti Muſarum, & Sapientiae ſedem, ſcriptis ſuis omni aevo memorabilem, ſaepius laudat, porticu, & nemore inſignem; quam Plinius Lib. xxxi. Cap. 2. digito monſtrat, littori impoſitam occurrentemque ab Averno lacu Puteolos tendentibus. Meminit quoque idem Romanae Eloquentiae Parens *Fundi Herculanenſis* in

Lib.

Lib. xI. Epiſtola xv. ad Familiares, & in Leg. Agrar. c. 14. *Herculaneam viam* commemorat; ad quae loca vide doctiſſimos Ciceronis Interpretes, & eruditiſſimos veteris Geographiae Explanatores.

His igitur in locis tanta celebritate illuſtribus, in quibus qui Itinera ſcribunt, rudera & nonnulla veſtigia adparere memorant, effodiendum eſſe videtur, nec ſumptibus parcendum, quum his in Villis non ſolum eruditae Vetuſtatis, ſignorum, & aedificiorum ingentes lateant theſauri, verum & Codices illa aetate ſcripti, omnium antiquiſſimi, ac praeſtantiſſimi inveniri facile poſſint, qui nos inſtruant, ac plurima adhuc nobis incognita patefaciant, ſi tandem ex iisdem diuturnis tenebris, & ſqualore eruantur. Ceterum in Herculanenſibus egeſtis ruderibus inſignia valde monumenta alia inveniri feliciter poſſunt: nempe ſigna, picturae, aedificia, marmoreae, & aereae Tabulae ſcriptae, & forſitan etiam vetuſtiſſimi Codices, quod flagrantiſſime ſe cupere iam publice faſſi ſunt Viri Praeſtantiſſimi, de Litterario Orbe optime meriti, Cardinalis Angelus Maria QVIRINVS, Io: Mathias Geſnerus, Willelmus Feverlinus, Hermannus Samuel Reimarus; ut ex eorum votis ſupra in §. II. expoſitis patefactum eſt; verum inter enumeratos Codices, qui vel integri, vel locupletiores ab ipſis deſiderantur, nonnullos impoſſibile eſſe arbitror, ut inveniri poſſint, quum ſcripti ſint poſt teterrimum Herculanenſis Municipii exitium.

Heic olim, teſte Stephano Pighio in Hercule Prodicio, ingentia & ſplendidiſſima fuere aedificia: totus enim ſinus inter hoc Miſenum promontorium, & illud Capitis Minervae e regione Capreae, dicebatur ſinus Crateris, quum Crateris figuram efformet; & tota ora maritima protendebatur paſ-

ſuum

ſuum LIV. millibus. Ibi aedificia, urbes, vici, villae, balnea, theatra, piſcinae, templa, moles, & alia id genus magnifica, & opulenta a Baiis uſque ad Herculaneum, & Vulturnum tanta frequentia e mari proſpiciebantur, ut non multorum, & diſiunctorum locorum; ſed unius ampliſſimae & elegantiſſimae Vrbis inſtar eſſent: cui ſpectaculo intuentibus undequaque iucundiſſimo, nuſquam aliud par. Noſtro hoc aevo omnia vel diruta, vel proſtrata, aut ſepulta iacent.

Sed his in locis novae rurſus excitatae ſumptuoſiſſimae Procerum Villae in agro praeſertim Retinate, vulgo nunc *Resina*, ubi Regia Villa, quae quum ditiſſimum Muſeum complectatur, ex Herculanenſium monumentis inſignibus, confectum paucos intra annos, peregrinantium ſtudia & ſtuporem ad ſe, ſuaviſſima ut fruantur voluptate, iure ac merito trahit. Regiae Villae *ai Portici*, a Porticibus nomen factum puto; quia ibi olim porticus fuere: & facile eſt eam adpellationem porticus illas indicare, quas Nero Caeſar inchoavit, ſed non perfecit, quas laudat Suetonius in eius vita Cap. 31. inquiens: *Piſcinam inchoabat a Miſeno ad Avernum lacum, contectam, PORTICIBVS concluſam: quò quidquid totis Baiis calidarum eſſet, converteretur.* Huiuſmodi locorum ſpatium, ut adnotat Cluverius Ital. ant. Lib. IV. Cap. II. pag. 1118. quinque fere paſſuum millia conficit. Quod ſi ab his Neronianis Porticibus dictam nolimus regiam Villam, ab alio certe antiquo aedificio, peramplis porticibus ornatiſſimo, nuncupatam, ut arbitror, nemo ibit inficias.

Praeter Villas pulcerrimas ſitas in Herculanei viciniis, & in Retinate vico, exſtant etiam hodie Templa & Coenobia conſpicua, nempe Patrum Augu-

ſti-

ſtinianorum, qui inter Excalceatos numerantur, qui memorantur in Not. I. pag. 59. alterum Camaldulenſium Monachorum, paſſibus non amplius mille diſſitum ab Herculaneo: Templum D. Thereſiae Carmelitae ſacrum, quae laudantur & deſcribuntur, multis licet ambagibus & verbis, a Salvatore Varrone Societatis Ieſu Presbytero in Hiſtoria Veſuviani Incendii, Neapoli edita anno 1634. Laudat idem auctor mullos praecipue maris in viciniis Herculanei, vineta apprime felicia, pomiferum ſoli ingenium, dulces fontes aquarum, omnigenas agrorum divitias, virentes frigidaſque ſiluas, dulces auras, loca amoeniſſima, ubi caeli clementia hiems vernat; citat etiam pag. 297. rei medicae Principem Galenum, qui artis ſuae diffiſus in pellenda tabe, rem mandavit Herculanenſis agri naturae: ſed quum Galeni locum, ubi haec ſcribit, non indicet, aliis inveſtigandum relinquo. Miror Neapolitanos Proceres in Agro Retinate in ſuis praediis, praeteritis annis, excavationibus operam non dediſſe, quum inventa ſemper fuerint antiqua praeclara monumenta his in locis, & ubi Herculaneum fuit, teſte Capacio in Hiſtoriis Neapolitanis, in memoratis libris. Haec igitur Florentiſſimo Regi Carolo Borbonio cura ſervata eſt & gloria: qui, ut ſupra in Not. xxii. pag. 101. relatum, iam & Cumis, & Pompeiis terrarum egeſtiones fieri iuſſit, & iam permulta in his eruditae Vetuſtatis fodinis eximia antiqua monumenta inventa ſunt, quae in iiſdem deſcribuntur.

Dum haec hactenus ſcriberem, aliud quaerenti mihi occurrit in Muratoriano antiquarum Inſcriptionum Theſauro pag. dclxii. num. I. epigraphe inventa in Theatro Herculanenſium anno mdccxxxviii. quam Doctiſſimo Muratorio miſit V. C. Ignatius

Ma-

Maria Como Patricius Neapolitanus, ab eo ita exſcripta:

A..MAMMI RVFVS II.VIR.QVIN.THE.....
DE SVO.

Muratorius haec mox adnotat: *Cenſent eruditi Neapolitani eo in loco* (prope Neapolim) Theatrum *olim extitiſſe*, *cuius* Orcheſtram Aulus Mammius Rufus Duumvir Quinquennalis *ſua pecunia reſtituerit; hi enim in litters exeſis Theatri* Orcheſtram *legendum putant*. Ex his a Cl. Muratorio adnotatis, liquet tunc nondum patefactum fuiſſe hoc marmor pertinere ad Theatrum Herculanenſium, quod Cl. Marchio Venutus omnium primus detexit, ut diximus. Venutum itaque ſtatim conſului, quum eandem epigraphen non paucis mendis inquinatam conſpicerem; nam ea deceptus Muratorius *Aulum Mammium* conſtituit inſtauratorem Orcheſtrae Theatri Herculanenſium Iam ex dictis conſtat hunc fuiſſe L. Annium Mammianum Rufum, Duumvirum Quinquennalem Herculanenſium; & ipſe probo eum THEATRi ORCH*eſtram* DE SVO vel reſtituiſſe, vel potius exſtruendam curaſſe, quum iam Theatrum ipſum facile multis antea annis conſtitutum eſſet, ut expoſui in §. XVII. pag. 152. Humaniſſima epiſtola ſua reſpondit Cl. Venutus, eam epigraphen, quam ipſe diligenter exſcripſit, ita ſe in principio habere:

....,.. A........ MAMMI ..... RVFVS &c.

ceterum in reliquis, quae ſequuntur, meam omnino cum archetypo concordare, & cum apographo a me ſuperius edito pag. 42. in quo (facile eius amanuenſis incuria) in exemplari ad me miſſo in principio F expungenda, & eius loco....... A...... ita reponenda eſt; quod heic peropportune, dum hoc Opusculum Prid. Kal. Iunias hoc ipſo anno, Deo dante, abſolverem, adnotandum cenſui.

IO. BAPTISTAE PASSERI

PISAVRENSIS

IVNONALIS SACRA MENSA

HERCVLANENSIVM

ILLVSTRATA

IO. BAPTISTAE PASSERI

PISAVRENSIS

Protonotarii Apoſtolici, Regiae Societatis Londinenſis, Etruſcae Cortonenſis, Columbariae Florentinae, & Olmucienſis Litterat. Incognit. Membri

IVNONALIS SACRA MENSA HERCVLANENSIVM ILLVSTRATA

Ad Nobiliſs. & Praeſtantiſs. Virum

DIAMANTEM COMITEM A MONTE MELLINO PATRICIVM PERVSINVM

Qvum aliquando, Clarissime Montemelline, Etruſcum Nummum e tuis Cimeliis depromtum, perhumaniter, ut ſoles, contemplandum mihi propoſuiſſes, ignota ad illud tempus epigraphe obſignatum, atque in ipſo ex adiectis in exergo litteris hiſce ΛVↆΘH, Vrbis Her-

CVLANEI nomen deprehendiſſem, & cum optimo doctiſſimoque GORIO communicaſſem; ſpem quamdam tunc concepi, fore aliquando, ut praeclara alia illius antiquiſſimae Civitatis non modo deletae, verum & penitus ſepultae monumenta in apricum aliquando prodirent: quorum teſtimonio fidem adhiberemus antiquis Scriptoribus, eam exſtitiſſe aliquando, & plurimis monumentis ſpectatu digniſſimis abundaſſe: quod ſi id unquam ſperandum erat, certe aetate hac noſtra contingere cupiebamus, in qua, certantibus invicem totius Litterati Orbis ingeniis, ſtudium Vetuſtatis ad maximum dignitatis apicem evectum eſt. Quod vero opulentiſſimae, atque elegantiſſimae Vrbis illius integrum fere vultum repente prodeuntem, nobiſque in ipſa ſua veteri maieſtate occurſantem nuper mirati ſimus, uni debetur CAROLO BORBONIO REGI Florentiſſimo, qui pace terra, marique parta, non modo maieſtati Regni ſui adſerendae addictus eſt, ſed & veteri reſtituendae; nam adhibita militum manu, & exercitu paene admoto, Vrbem illam HERCVLANEVM, & hoc amplius finitimas quoque POMPEIOS & CVMAS, adtollere caput, & exſurgere iam, ac ſtare iuſſit; illamque, de qua nunc agimus, a Diis Manibus vindicatam, Viris doctis videndam, & paene dixerim eorum ingeniis habitandam auſpicato obtulit, quod etiam de reliquis brevi futurum ſperamus. Si quis vero in hac Vrbe perveſtiganda illuſtrandaque prae ceteris ſtudio mirifice profecit, profecto is eſt praeclariſſimus Amicus noſter GORIVS, qui Vrbem illam rumore magis, & ingenti nomine, quam uſu cognitam, naſcentem prius obſtetricatus, deinde eruditione, quae exquiſita in eo eſt, excultam, atque expolitam nobis

bis edito libro, cui titulus ADMIRANDA ANTIQVITATVM HERCVLANENSIVM patefecit, & publicas ſacraſque eius Aedes, Simulacra, Aras, Donaria, Statuas, Marmora, inſignes Picturas, & quidquid coram intueri non poſſumus, praeſertim vero quum primus omnium miraculum illud ſculptoriae Artis, Equeſtrem ex integro marmore Statuam M. NONII BALBI duplici ſchemate intuendam exhibuerit, quod in omnium votis erat, graphica Deſcriptione oſtendit, ut iam citra pavorem adeamus Vrbem mortuam, & ſecuro pede in ipſa nunc verſemur, ac ſine incommodo ſpatiemur; quam ipſe laudem doctis Amicis tribuit, praeſertim Clariſſimo Marchioni, & Equiti Marcello VENVTO, Patricio Cortonenſi, & doctiſſimo Iacobo MARTORELLIO, qui tam ingentem eruditionis theſaurum miſſis ad eum Epiſtolis ſuis, monumentiſque omnibus, quae ipſi eo in loco accurate obſervarunt, deſcriptis, nobis aperuerunt.

Verum, ut in id opus etiam Symbolam noſtram conferremus, reſervavit nobis idem GORIVS, gloriae litterarum flagrantiſſimus, MENSAM SACRAM inter rudera Vrbis HERCVLANEI repertam anno CIↃ. IↃ. CC. XXXVIII. noſtris curis expoliendam atque illuſtrandam; quae, quum litteris Etruſcis inſcripta ſit, inter praecipua eiusdem Vrbis ornamenta cenſenda eſt, tantoque accuratius erat a me expendenda, & enucleanda: quod tamen urgentibus GORIANIS Typographis, & feſtinante Tabellario, adeo tumultuarie praeſtiti, ut intra biduum Epiſtolarem hanc Diſſertationem morae impatientem emiſerim. Tibi interim, MONTEMELLINE Vir Amiciſſime, & Clariſſime, illam nuncupandam, ac ſiſtendam duxi, cuius auſpiciis

 no-

nomen HERCVLANEI primum ex tuo nummo patuit, & reſtitutum eſt, quem idem GORIVS noſter primus omnium in lucem protulit.

Sane quo in loco eiusdem Vrbis ea marmorea MENSA SACRA conſtiterit, liquido mihi non conſtat; nam dubiis ſemper & variis nunciis modo circa Templum Herculis, modo aliunde eſſe erutam narratum eſt: quod tuto adſeri poteſt, res ſacra eſt, quod & dedicatio indicat, & limbus undequaque circa aream eminens, ut infuſa libamina ſancte, pieque infuſa, in canaliculum reducta, in inferiorem alveolum, ſeu paratum receptaculum diſtillarent, ut oſtendit propoſita a nobis Tabula. Huiuſmodi ſacra inſtrumenta obvia in Templis exſtitiſſe oſtendunt antiqua marmora, praeſertim vero in Curiis, & Prytaneis poſita, in quibus quum libandum eſſet, huic officio impares arae videbantur. Quapropter probabile admodum eſt, MENSAM hanc in ipſa HERCVLANEI Curia exſtitiſſe; quam ſuſpicionem ipſa Etruſca Inſcriptio mox elucidanda videtur roborare. Duo igitur circa id argumentum nobis pertractanda ſunt, uſus nempe SACRAE MENSAE, & Inſcriptionis explicatio.

Antiquorum ſuperſtitio in omni fere humanitate conſervanda effuſiſſima, Menſas omnes conſecravit, & non modo eas, quas Deorum cultui addixit, verum etiam & familiares, ac domeſticas. Arnobius Lib. v. adverſ. Gent. *Sacras facitis Menſas ſalinorum adpoſitu, & ſimulacris Deorum*: & Philargyrius in IV. Virgilii Eclog. ait: *Genio vitae praeſidi Menſam antiquitus conſecratam*. Dolebat propterea Darius apud Curtium Lib. v. *Se,*

ſa-

ſacram ſuam Menſam ad ludibrium recidentem, ſine lacrymis conſpicere non poſſe. Sacra praeterea familiaris Menſa habebatur, eo quod cenaturi Penates e Larario depromptos in Menſa collocarent; quare Petronius Satyr. Cap. XXXVIII. *Tres Pueri candidas ſuccincti tunicas intraverunt, quorum duo Lares bullatos ſuper* MENSAM *poſuerunt*. Dii vero, quibus huiuſmodi honor tribuebatur, Genii Menſae praeſides, Mercurius, cui poſt cenam libabant, atque Hercules conviva frequens, *Epitrapetii* inde audiebant, de quibus tamen infra. Accedebant praeterea libationes in Menſa fieri ſolitae, adeo ut illa inter res ſacras haberetur. Virgilius Aeneid. Lib. I. verſ. 742.

Dixit, & in menſam laticum libavit honorem.

Mortui parem vivis honorem obtinuerunt; nam Menſas ſacras & ipſis quoque ſacratas, atque adſignatas fuiſſe conſtat ex antiquis lapidibus, praeſertim ex Grutero pag. DCCCL. 6. e quo hunc tantum Mediolanenſem perlubet exſcerpere.

M . M .
MINICIAE . RVFINAE
INNOCENTISSIMAE FEMINAE
QVAE . VIXIT . ANNIS . XXII
MENSE . VNO . DIEB . XXIIII.
MINICIA . DOMITIA . SORORI
POSVIT . MENSAM . CONTRA
VOTVM

De hiſce Menſis intelligenda eſt Lex V. Cod. *de Sepulcr. viol.* poena in illos inrogata, qui

praeſumſiſſent ornamenta quaedam de Tricliniis ſepulcralibus auferre. Putarunt aliqui Menſas ſepulcrales unum idemque fuiſſe cum Aris, ſeu Cippis; conſtat enim eas voces aliquando promiſcue ſumtas. At non video cur Menſae a Sepulcris ablegandae ſint, quum tam obvia habeatur funebrium cenarum mentio, ac ſilicerniorum in Sepulcris, quam quod maxime. In monumentis quoque Etruſcorum ſaepe ſaepius menſarum imago nobis repraeſentatur, quae aliquando vacuae, ac purae ſunt, quandoque donis, & vaſculis impoſitis exornantur.

In Templis vero non modo frequentes, ſed & in multiplici uſu exſtiterunt. Has inter anclabris cenſebatur, de qua Feſtus: Anclabris *Menſa miniſteriis divinis apta. Vaſa quoque aerea, quibus Sacerdotes utuntur*, anclabra *adpellantur*. Huiuſmodi eam fuiſſe oportet, quam in Sacello Iſidis marmorato poſitum in lucem protulit idem Cl. GORIVS inter Donianas Claſs. 1I. num. 6.

In hanc ipſam adferre lubet eiusdem GORII noſtri explicationem: *Menſae, quod omnes ſciunt, magni pretii, ex auro, argento, aere, citro, & marmore Diis dedicari ſolebant in Templis, & adponi in domeſticis Larariis; quae, ut ait Cicero Orat.* IX. *in Verrem, vaſa ſacrificiorum ſuſtinerent*. Paucula haec ex eo ſubiungam: *Iſte* (Verres) *Menſas Delphicas e marmore, crateras ex aere pulcherrimas, vim maximam vaſorum Corinthiorum ex omnibus aedibus ſacris, Syracuſis abſtulit*. Aeream vero inſignem Iſiacam Menſam, quam a repertore *Bembinam* vocant, a Pignorio, & Kircherio illuſtratam, ex harum numero fuiſſe non

non dubitamus, quae nunc ſervatur in Muſeo Taurinenſi Inviċtiſſimi Sardiniae Regis; cura Petri Bembi ereptam ex dira Mantuae direptione. Altera adſimilis Aegyptiorum Menſa, ſed brevior, a Cl. Ficoronio edita eſt pag. 80. inter Veſtigia, & raritates Romae antiquae. Occurrit praeterea huiuſce ſacri ornamenti mentio in vetuſto marmore, quod Aſſiſii in Foro adſervatur:

IOVI . PAGANICO . SACR.
EX . INDVLGENTIA . DOMINoRvM
SVCCESSVS. PVBLICVS. MVNICIPVM
ASISINATIVM. SER. AMOENIANVS
AEDEM. CVM. PORTICIBVS. A. SOLO
SVA. PEC. FECIT . ITEM. MENSAM. ET ARAM
D . D

Nec immerito ob duplex officium Ara a Menſa diſtinguitur: quum enim Iovi Paganico Curiatim ſacra fieri deberent, Ara obſequio impar, officium Menſae poſtulabat. Aram quoque, & Menſam in Templo Deae Mefitis, ſive Mephitis conſtitutam teſtatur altera Inſcriptio apud Gruterum XCVI. 10.

MEFITI
L. CAESIVS
ASIATICVS
VI.VIR. FLAVIALIS
ARAM. ET. MENSAM
DEDIT. L. D. D. D

Hae autem ſacrae Templorum Menſae epulis quoque adparandis, & inſumendis, & lectiſterniis Deorum adornandis quandoque adſcriptae, ut plurimum vero libationibus ſuſcipiendis, quae obvia Religio fuit, addictae habebantur. Hinc canicula-

culatas eas eſſe oportuit, quod adlato huiuſce Herculanenſis Menſae exemplo diſcimus. Feſtus: *Menſae in aedibus ſacris ararum vicem obtinebant*: Et Macrobius Saturnal. Lib. III. Cap. 2. *In Papiriano iure evidenter relatum eſt, arae vicem praeſtare poſſe Menſam dicatam, ut in Templo, inquit, Iunonis Populoniae* AVGVSTA MENSA *eſt. Namque in Fanis alia vaſorum ſunt, & ſacrae ſupellectilis, alia ornamentorum: quae vaſorum ſunt, inſtrumenti inſtar habent, quibus ſacrificia conficiuntur; quarum rerum principem locum obtinet Menſa, in qua epulae, libationeſque, & ſtipes reponuntur .... At vero Menſae, arulaeqae eodem die, quo aedes ipſae, dedicari ſolent; unde Menſa hoc ritu dedicata in Templo, arae uſum, & religionem obtinet pulvinaris*. Ex quibus Macrobii verbis facile eruitur uſum MENSAE SACRAE fuiſſe ab Etruſcis adſcitum, praeſertim vero in praecipuis Vrbium Templis, in quibus Coetus hominum, & Senatus haberi ſolebat: qui ritus tam ſolemniter ab ipſis ad Romanos tranſiit, ut Curia ſine Menſa non eſſet. Dionyſius Lib. II. *Tatius in omnibus Curiis* MENSAS IVNONI QVIRITIAE *poſuit, quae ibi ſitae ſunt noſtro quoque tempore*. De iisdem mentio quoque eſt apud Feſtum: CVRIALES MENSAE, *in quibus immolabatur* IVNONI, *quae* CVRIS *eſt adpellata*.

Quum vero dixerimus Senatum in Templis frequenter coiiſſe, non ignoramus in cunctis Vrbibus loca publica ad hunc uſum peculiariter excitata conſtitiſse: quod praecipue de Herculanenſibus noſtris teſtatum facit Inſcriptio apud Reineſium Claſs. VII. num. 15. cuius hoc initium: PRIDIE K. MARTIAS IN CVR. SCRIBENDO ADFVERE CVNCTI &c.

at

at nihilominus veterum Scriptorum conſenſu confirmatur etiam in Templis frequenter Senatum coiviſſe, ſive id maior opportunitas, & loci amplitudo poſtularet, ſive Numinum religio, ſub quorum tutela Populi exiſterent. Hinc toties celebrata Senatusconſulta habita in Templo Iovis Capitolini, Statoris, Fidei, Telluris, Virtutis, Vulcani, Victoriae, & Apollinis, de quo Cicero in Epiſtolis; demum in Templo Concordiae, de quo idem Cicero in Philippicis, & Lampridius in Severo Cap. VI. Rationem huius inſtituti expoſuit nobis Gellius Lib. XIV. Cap. 7. *Varro docuit, confirmavitque, niſi in loco per Augures conſtituto, quod Templum appellaretur, Senatusconſultum factum eſſet, iuſtum id non fuiſſe. Propterea & in Curia Hoſtilia, & in Pompeia, & poſt in Iulia, quum profana ea loca fuiſſent, Templa eſſe per Augures conſtituta, ut in iis Senatusconſulta more maiorum iuſta fieri poſſent.*

Ab hac religione introductum eſt, ut Concilia incoharentur a Deorum ſupplicationibus, ut conſtat ex Suetonio in Auguſto Cap. 35. *Quo lecti probatique & religioſius, & minore moleſtia Senatoria munera fungerentur, ſanxit, ut priusquam conſideret quiſque, thure, ac mero ſupplicaret apud aram eius Dei, in cuius Templo coiretur.* Ex quo factum eſt, ut in Curiis, ſive iunctae Templis eſſent, ſive etiam ipſis cohaererent, Menſae exiſterent, in quibus Patres vina funderent; & ne prae copia humi diffluerent, (quod in ara contigiſset) limbo incluſa, & canaliculo excepta in religioſum alveolum fluerent, & ſervarentur.

Ex

Ex his unam fuiſse hanc SACRAM HERCVLANENSIVM MENSAM, quam modo illuſtrandam ſuſcepimus, iam nullus dubito; nam non obſcure in eius dedicatione ꟼꝊꟼꓭ, HERE nomen repetitum deprehendimus, ut infra manifeſtum erit. Non ambigo tamen etiam Herculi Menſam adtributam; nam ex peculiari huius Dei religione libari in Menſa illi conſueverat; quapropter Virgilius iuris Pontificii peritiſſimus, eius ſacrum ad Aram maximam celebratum deſcribens, libatum in Menſa indicavit Aeneid. Lib. VIII. verſ. 279.

——— ocius omnes
In MENSAM *laeti libant, Divoſque precantur*:

quem locum egregie illuſtrat Servius, qui fere videtur auctoritatem ex citato Macrobii loco hauſiſse. Ratio vero ob quam Herculi in Menſam libaretur, ea fuit quod Deus ille conviviis, & Menſae praeſes haberetur. Statius Silvar. Lib. IV. 6. convivii adparatum deſcribens:

Haec inter, caſtae Genius Tutelaque MENSAE
Amphitruoniades, multo me cepit amore:

& poſt pauca eius ſigillum ita deſcribit:

Sic mitis vultus, veluti de pectore gaudens
Hortetur MENSAS, *tenet haec marcentia fratris*
Pocula, adhuc ſaevae meminit manus altera caedis.

Id ipſum ſigillum iterum celebrat Martialis Lib. IX. Epigram. 44.

Quaeque tulit, ſpectat reſupino ſidera vultu,
Cuius laeva calet robore, dextra mero,

Hoc

Hoc habuit Numen Pellaei Menſa Tyranni,
Qui cito perdomito victor in orbe iacet.

Ad huius Simulacri ſimilitudinem innumera Romae, & in Municipiis factitata fuiſſe conſtat; nam parva quaedam Herculis ſigna eidem deſcriptioni reſpondentia adeo obvia ſunt, ut duplex in meo Muſeo habeatur: neque alia de cauſa tam frequentia extitiſse reor, quam quod in Menſis collocarentur. Id ipſum adnotavit Cl. GORIVS Par. II. Inſcriptionum Antiquarum, quae exſtant in Etruriae Vrbibus pag. 130. & ſeq. ubi etiam poculi Herculei ornamenta propoſuit, quae caput Herculis exhibent ſimul & epiſtomium. Hunc ipſum morem idem ex Horatio adnotavit, ubi Auguſtum Diis aequalem celebrat Lib. IV. Ode V.

Hinc ad vina redit laetus, & alteris
Te MENSIS *adhibet Deum.*
Te multa prece, te proſequitur mero
Diffuſo pateris, & Laribus tuum
Miſcet Numen ——————

Plurima ſuadent a GORIO adnotata, in Vrbe HERCVLANEO Templum Herculis, cui nomen idem Hercules donaverat, ſummum, & auguſtiſſimum habitum fuiſse, atque in eo veluti in religioſiſsimo Vrbis loco Curiam cogi conſueviſse. Sed alteram amplector potius ſententiam, Iunoni ſacram hanc Menſam in Curia HERCVLANENSIVM poſitam fuiſſe; atque idcirco forte Curialem adpellandam reor, in qua rerum gerendarum curam praevia Patrum libatione auſpicarentur.

In-

Nunc Inſcriptionem ipſam Etruſcarum omnium, quotquot adhuc exſtiterunt, magis perſpicuam, & paene dixerim Latinam, ut exhibetur in proxima Tabula, adgrediamur. Sane characterum forma, & litterarum conſonantium geminatio evincit, hanc ex antiquiſſimis non eſſe; ſed ea tempora reſpicere, quibus Latinus ſermo cum imperio propinquarum Vrbium dialectos perturbaverat. Inſcriptio in hac MENSA duplex: una in fronte, alia in altero laterum. Vt earum ſenſum adſequamur, animadvertere oportet quid nam rerum hae Inſcriptiones continerent: & nulli quidem dubium eſt, quod nihil praeter dedicationem. Verſamur enim in re ſacra, cui Inſcriptio adponebatur, ut eius indicio ab omni profano uſu immunis haberetur. Quo praemiſſo, concipere oportet, & quodammodo ingenio praeludere quid nam, ſi daretur occaſio, nos ipſi in hiſce ornamentis inſcriberemus. Ego quidem nil praeter hoc lemma:

I V N O N I S A C R V M

& ſi quod ulterius ſpatium ad ſcripturam exuberaret, adderem nomina, & dignitates illorum, qui marmor dedicaſſent. Haec omnia manifeſtiſſime in hac marmorea MENSA obſervantur: in fronte enim ſcriptum legitur:

ꟷ HꟷV Ƨ Ƨ ⊦ T N̄ T И Ǝ Ɑ Ǝ 8

Latinis utar nunc elementis ad maiorem facilitatem. Ac ſi dixeris:

I V N O N A L I S S V M

Vt

Vt a priore huius Mensae epigraphe exordiar, ꙅ⊦ᛏ⊠ᛏИƎᗡƎ8. HERENTATEIS, obliquum eſt nominis HERE, hoc eſt *Iunonis*. Alterum nomen huius formae occurrit in patera fictili Muſei mei, quod facile continet nomen figulinae, ſeu Dominae fundi, ſeu potius mulieris defunctae:

ᛃRIꙅƎV ƎᛏAIᗡRꓘИR

ANKARIATE VESIAL

Forte etiam HERENTATEIS derivativum eſt compoſitum ab HERA, quemadmodum *Senatus*, a *Sene*; per quod indicatur non ſolum Coetus Seniorum, verum & locus, in quo ille haberi conſueverat. Quum itaque Concilia in Curiis Iunoni ſacris celebrarentur, ſeu ſaltem Menſae Iunoni ſacrae in illis eſſent; haud ambiguo argumento Religionis, quam in ea frequentia obtinebat, locus ipſe, quod a Graecis HPAION, a Latinis IVNONAL dictum eſſet, Etruſci, ſeu Campani Herentatvm nuncupaverunt: quapropter lemma illud MVꙅ ꙅ⊦ᛏ⊠ᛏИƎᗡƎ8, HERENTATEIS SVM, idem, ut opinor prorſus eſt, ac ſi diceres IVNONALIS SVM, ſeu *locus Iunoni Sacer*.

Herentateis diphthongus Tuſca EI obvia eſt in Inſcriptionibus, & reſolvitur in I, non ſecus ac Latinis factum eſt, quibus haec dicendi formula frequens fuit: hinc ſaepe apud Varronem occurrit: *Sabineis*, *Noneis*, *Februarieis*, *Sybillineis*, *Tuſculaneis*, pro *Sabinis*, *Tuſculanis*, *&c.* Huius vero primae vocis duplex, ut opinor, afferri poteſt expli-


plicatio, prima nempe qua locum deſignet, altera vero ut ſit nomen proprium illius, qui Menſam dedicavit. Vtramque in gratiam veritatis proſequamur, ut in hac opinionum varietate iudicium magis aliorum expectemus, quam noſtrum obtrudamus.

Ipſum quoque ᛖVƧ, SVM paene Tuſcum eſt; nam in Tabulis Eugubinis frequentiſſime legitur EST. ESTO. ESTE. ESTV. plurimaque alia inde compoſita in iisdem leguntur. Solemne vero fuit Antiquis Inſcriptiones in perſona prima, quaſi Donarium ipſum, ſeu Simulacrum loqueretur, concipere: ut EGO SVM ISIS. EGO SVM OSIRIS, plurimaque alia his ſimilia, quae lato calamo in Roncalienſibus cumulavimus. Sic etiam in marmorea baſi Sigaea donarium ipſum Phanodici ita de ſe loquitur: in qua Inſcriptione proferenda utar non iiſdem litteris maioribus antiquiſſimis, ſed minoribus, quae apud noſtros typothetas in uſu ſunt, ex verſione in hunc modum.

ΦΑΝΟΔΙΚΟΥ.	PHANODICI.
ΕΙΜΙ. ΤΟΥ ΕΡΜΟΚ	SVM FILII HER
ΡΑΤΕΟΣ. ΤΟΥ.	MOCRATIS
ΠΡΟΚΟΝΝΗ	PROCONNE
ΣΙΟΥ. ΚΡΗΤΗΡ	SII. CRATE
Α. ΔΕ. ΚΑΙ. ΥΠΟΚ	REM. VERO ET
ΡΗΤΗΡΙΟΝ. Κ	HYPOCRATE
ΑΙ. ΗΘΜΟΝ. ΕΣ. Π	RIVM. ET COLVM.
ΡΥΤΑΝΗΙΟΝ.	AD PRYTANEION
ΕΔΩΚΕΝ. ΣΙΓΕΙ	DEDIT. IS SI
ΕΥΣΙΝ	GEIS.

Re-

Reliquam alterius lateris Herculanenſis Menſae ſcripturam adgrediamur.



Hoc eſt

L. SLABIIS. L. AVCHIL. MERRISS. TVCTIKS

HERENTATE...PRVKINAI. PRVFFER

In primis quidem duabus vocibus nemo non videt repetita *Lucii* praenomina, illaque adpoſita geminarum Familiarum nominibus *Slabiae*, ſeu *Salviae*, *Laviae*, & *Aukiliae*, quam propius ad Latinum ſtilum *Aquiliam* diceremus, illi omnino ſimilem, ex qua celebrata Hiſtoriis TANAQVIL egreſſa eſt, quam *Thanam Cuiliam* feminino praenomine cum nomine coniuncto apud Tuſcos adpellatam fuiſſe in iisdem Roncalienſibus dixeramus. Quod vero litterae in hac Menſa nunc hoc modo, nunc alio ſcribantur, id accurate adlatis rationibus expendemus in Diatriba *de Cacographia Etruſcorum*.

Nomina amborum ſequitur utriuſque munus, ſeu dignitas, MERRISS, & TVCTIKS, quae geminae voces manifeſtiſſime mihi ob oculos ponunt illam Campanorum dignitatem Conſularem, de qua ſic loquitur Livius Lib. XXVI. cap. 6. *Hoc ultimum, utcumque initum, finitumque eſt, ante*

deditionem Capuae proelium fuit. MEDDIXTVTICVS, *qui ſummus Magiſtratus apud Campanos eſt, eo anno Seppius Leſius erat, loco obſcuro, tenuique fortuna ortus*. Vbi vero primum vox iſta nobis occurrit, arcanum aliquod imperſcrutabile Linguae Tuſcae reputatur, quod nemo, niſi iterum Tages reſurgat, diſſolvere queat. At purus putus Helleniſmus eſt, in Campaniam ex ipſa Graecia delatus. Conſtat enim ex duabus vocibus ΜΕΔΩ, *impero, curo*; unde ΜΕΔΩΝ, *Rex*, ſeu *Curator*; atque ΑΣΤΥ, *Vrbs*, a ΣΤΑΩ, unde ΑΣΤΟΣ, *Civis*, & ΑΣΤΥΝΟΜΙΑ, *Aedilitas*, & rerum urbanarum cura. Origo huius vocis facile ex Phrygia eſt. Conſtat enim Hectorem filium ſuum *Aſtianacta* denominaſſe, quaſi *Vrbis defenſorem*, ut obſervat Plato in Cratylo. Forte vox iſta Perſis etiam innotuit, apud quos *Aſtiages*; & ipſis Aegyptiis, apud quos urbs *Bubaſtum*: quod etiam confirmat Dio Lib. I. aſſerens, Graecos ab Aegyptiis didiciſſe urbes ſuas, quas *Aſtus* vocant, in tres ordines diſtribuere. Pervaſit dein vox iſta Italiam, ſive a Phrygiis, ſive a Graecis delata; atque ab illa *Aſta* urbs nominata eſt. Terentius quoque in Eunucho Act. v. Sc. v. ver. 17. *aſtum* pro *urbe* dixit.

An in aſtu venit? ——————

Quapropter *Mediaſtuticus* idem eſt ac *Curator Vrbis*. Graeci inverſo litterarum ordine ΑΣΤΥΜΕΔΟΝΤΑ dixerunt; quod idem ſignificat ac Campanorum MEDDIXTVTICVS, vel MEDIASTVTICVS.

Oſci

Oſci Campanis affines, poſt quos Etruſci & Pelaſgi, ac demum Samnites Herculaneum, Strabone teſte, tenuerunt, dimidiatam hanc vocem pro eorum Conſulatu exprimendo adhibuerunt, hoc eſt MEDDIX, & colligitur ex Ennii Fragm. in VIII. Anal.

Summus ubi capitur MEDDIX, *occiditur alter*:

quod etiam teſtatur Feſtus: MEDDIX *apud Oſcos nomen Magiſtratus eſt*. Incertum interim an ordinarius, ſeu potius extraordinarius fuerit; & ab uno ne, an potius a duobus Collegis geſtus. Ego tamen magis inducar ut credam ordinarium fuiſſe, annuum quoque, atque ex geminis civibus conſtantem; nam in primis video Samnites conterminos habuiſſe ſummum belli Ducem, qui apud ipſos EMBRATVR erat; & praeterea Dictatorem, quem adpellabant SAFINIM; ut eruitur ex eorumdem Populorum nummis tempore ſocialis belli ſignatis, quorum notitiam debemus Clariſſimo Oliverio noſtro, qui duplici de iiſdem Diſſertatione perdocte elucubrata, novam hanc provinciam Eruditis patefecit. *Safinim* vero idem eſt, quod Poeni *Sufetem*, Albani vero *Sufetium* nuncupabant. Colligitur praeterea ex ipſo adlato Ennii verſu, geminos fuiſſe *Meddices*, ex quibus necatum unum, alterum vero captum recenſuit. Ex Livio vero manifeſtius adparet, *Mediaſtuticos* in annum Rempublicam gerendam ſuſcepiſſe, quemadmodum Romae Conſules: *Mediaſtuticus eo anno Seppius Leſius erat*. Nec turbet, unicum tantum a Livio nominari; nam ex iis, quae infra ſubdit, liquido adparet ipſum unum fuiſſe, qui detrectantibus ceteris, curam Rei-

publicae, deſtitutam ab omnibus, audacter in ſeſe tranſtulit.

At noſtri HERCVLANENSES, pro MEDDIX inſcribere conſueverunt MERRISS; quod fortaſſe, vel peculiari dialecto tribuendum eſt, vel quia ex alio omnino fonte hunc dignitatis titulum derivatum uſurpaverint; nam ΜΕΥΡΩ eſt *ſortiri*, & fato, ſeu ſorte decerni, & deſignari. MOIRA praeterea in Lacaedemoniorum Republica erat portio quaedam Populi, qui, ut Ariſtoteles teſtatum reliquit, in ΜΟΙΡΑΣ diſtribuebatur, hoc eſt in Tribus, quae ΜΟΙΡΑΙ, quaſi ΜΟΥΡΑΙ dicebantur; quod etiam ex Xenophonte colligitur. Porro Magiſtratus iſte Herculanenſis, qui nunc primum nobis innotuit, dictus ne ſit a ΜΕΔΩ *impero*, ſive a ΜΕΥΡΩ *ſorte eligor*, ſive a ΜΟΙΡΑ, id plane parum relevat; nec facile ex hoc uno teſtimonio diſcerni valet: certe nomen Duumviratus eſt, qui in eiusdem Herculanenſis Reipublicae Senatu vel primas obtinebat, vel ſaltem in Tribu aliqua Populi Herculanenſis. Cernimus igitur pro duplici D D, *Meddix*, eos uſos eſſe R R, & ſcripſiſſe MERRISS, & duplicem S pro X adhibuiſſe.

Subſequens vox, quae interpunctione diſtinguitur ƧꓘɅ⊦TƆVT, hoc eſt, TVCTIKS, cuius deſinentia eadem eſt ac in MEDDIX, paululum deflectit a primaeva origine ΑΣΤΥ, unde Campani ASTVTICVM, quaſi *Vrbanum* dixerunt; cuius vocis rectum videtur fuiſse ASTVTIX. Deflectit, inquam, vox iſta a primaeva ſui origine; nam per aphaereſin, quae Tuſcis familiariſſima fuit,

fuit, ſyllaba prima ſubtracta eſt. Subeſt tamen aliqua ratio, cur & hanc vocem a mutilationis vitio defendamus. Si enim adſentiamur primam vocem ƨƨꞁЯЯƎM eſse a MOIPA Tribu (quod facile a Lacaedemoniis Herculanenſes didicerunt) convenit noſtrum TVCTIKS eſse a *tueor*, quaſi dixeris *Tuitor*, *Cuſtos Tribus*. Quam vero antiquum ſit verbum *tueor*, facile colligitur ex his, quae habentur apud Fulgentium de priſco Sermone Cap. xiv. *Varro in Pontificalibus* ait: Tutulos Sacerdotes dici brevium Deorum. *Numa vero Pompilius, & ipſe de Pontificalibus ſcribens*, tutulum *dici*, *ait*, *pallium*, *quo Sacerdotes caput tectabant*, *quum ad ſacrificium acceſſiſſent*; ſicut Virgilius ait Aeneid. Lib. iII. ver. 545.

Et caput ante aras Phrygio velamur amictu.

Poſt nomina, & dignitatem illorum, qui hoc donarium dedicarunt, ſubſequitur, ut par erat, nomen Numinis, ſeu Divinitatis, cui oblatio facta eſt, nempe ƎTNTИƎOƎ8. HERENTATE, quod ſupra explicavimus. Digna tamen, quae notetur, eſt differentia intercedens in huius vocis duplici deſinentia, quae a Latino more non multum recedit. Nam priore in loco, breviore Donarii titulo, ſatis conſpicuo, ſcriptum legitur HERENTATEIS SVM in caſu genitivo; heic vero ubi orationis ordo alterum caſum poſtulabat, dicitur HERENTATE.

Neque heic repetitae huius vocis duplex ſenſus, a nobis ſuperius adlatus, huic loco videtur repugnare, nempe, ut indicet locum Curiae, in quo

Mediaſtutici Menſam dicaverunt, ſive etiam iidem L. Slabius, & L. Aquilius Mediaſtutici, tanquam Aediles, Cenſores, & Cuſtodes, vel quaſi Aeditui Menſam in ea dedicarint. Sed ne arbitraria videatur Aedilitiae, ſeu Cenſoriae dignitatis divinatio, quam in voce ꓘꓠꓘIꓘꓦꓤꓒ *Pruchinai* deprehendiſse mihi viſus ſum, aſserere non dubitabo Helleniſmum eſse: nempe ΠΡΟΚΟΙΝΟΣ Reipublicae Curator, Aedilis, aut Quaeſtor, a ΠΡΟ, ΚΟΙΝΟΣ *communis*, & ΚΟΙΝΗΤΕΣ *communitas*; unde compoſita, & apud Graecos Scriptores ſunt uſurpata ΔΗΜΟΚΟΙΝΟΣ *Miniſter*, aut *Servus publicus*, ΕΠΙΚΟΙΝΟΣ, *communis*, ΠΟΛΙΚΟΙΝΟΣ, *multis comunis*. Si literulam interponere placeret, deduci commode poſset a ΠΡΟ ΚΡΙΝΩ, *ante alias conſtituere*, & *ceteris praeponere*, a ΚΡΙΝΩ, *ſecerno*, *eligo*, *dirimo*, quae vox proculdubio e Graecia in Latium conceſſit; unde diſcrimen Latinis factum eſt. Inde *Procrinis*, quaſi *Praepoſitus*, ſeu *loci Cuſtos*, atque *Aedituus* ſignificatur.

Primum antequam apographum Cl. Marchionis VENVTI ad me mitteret GORIVS, ſcriptum fuerat Menſam hanc habere truncam vocem ꓘAꓠIꓘ. KINAI, quae mihi quamdam imaginem caerimoniae veteris excitavit, qua ſacra facturi manus lavabant. Sic Cato de Re Ruſtica Cap. CXXXII. ſacras dapes Diis parandas deſcribit: *Manus interluito*; *poſtea vinum ſumito*. Horatius Satyrar. Lib. II. 3. verſ. 281.

——————— qui compita ſiccus
Lautis mane ſenex manibus currebat: ——

Vbi

Vbi vetus Interpres: *Idcirco dicit* lautis manibus, *quia ſolebant Deos precaturi, manus, & pedes abluere*. Hinc Livius Lib. XLV. *Quum omnis praefatio ſacrorum, eos, quibus non ſint purae manus, ſacris arceat*. Inter ea vero, quae purgandis manuum ſordibus cum aqua adhibebantur a Lacaedemoniis, Athenaeus Lib. X. numerat ΚΥΝΑΔΑΣ, qualia erant ΣΜΗΓΜΑΤΑ, atque ΜΑΓΔΑΛΙΑΙ; quapropter dubium mihi obrepſit, noſtrum hoc KINAI, praecedenti voce dilapſa, indicare potuiſse aliquam manuum lotionem, quae in hac Menſa fieri ſolebat. Nonne redargueres me inconſtantiae, SPECTATISSIME MONTEMELLINE, ſi e Menſa ſacra pollubrum facerem? Hanc igitur obſervationem non probo. At parce, precor, non dicam levitati, ſed potius reverentiae veritatis, cuius gratia multa quidem incunctanter, plura vero dubie proferimus, & diſputanda magis, & inquirenda Doctis, quam credenda proponimus.

Quod ſequitur ЯƎ88VϽΠ : PRVFFER, eſt ipſum *profero*, quod verbo *offero* fere reſpondet. Conſtat hoc poſtremum ex voce *fero*, & particula *ob*; alterum vero ex particula *pro*, *ferre ob aliquem*, & *ferre* pro *aliquo*, ſi veterem originem inſpectemus, neque minutis linguae proprietatibus inſiſtamus, idem fere ſonant. Vſus Latinorum admiſit in ſacris, ut *obſerre* potius, quam *proferre* dici conſueverit. At non video cur veteres vocem illi affinem reſpuerint. *Fero* certe Tuſcum eſt, & in Tabulis Eugubinis obvium: legimus enim in ipſis ſaepiſſime FERTV. FERTVTA, & inde compoſita FERACLV.

ARFERTVR. ARFERTVRE, & his ſimilia. Antquiſſima quoque Latinis exſtitit vox ARFERIA & ARFERIAL. Quapropter PRVFFER eſt ipſum *proferunt*; vox tamen contracta, & abbreviata mihi videtur; nam deſinentia vocis minime videtur indicare pluralem numerum. At quia ad ſolemnem formulam pertinebat, truncari in uſu erat; quemadmodum fere ſemper Latini formulam illam DONVM DEDIT per ſiglas notare conſtituerunt; immo quandoque penitus praetermiſerunt. Igitur ſi totius Inſcriptionis ſacrae huius Menſae Herculanenſium ſenſum colligamus, ita fere ſi Eruditi probant, reddi poteſt:

IVNONALIS SVM

L. SLABIVS L. AVKILIVS MEDIASTVTICI


IVNONALI PRAEPOSITI CVSTODES

PROFERunt

Quoniam vero Cl. GORIVS in eadem Tabula una cum Menſa HERCVLANENSIVM Nummum ex tuis Cimeliis depromtum accuratius incidendum curavit, qui Celetes & Hippodromum apud eosdem oſtendit, PARERGON in fine huiuſce Epiſtolae adiecimus; quod tamen ipſos Herculanenſes non reſpicit, ſed Peruſinos tuos. Gemma eſt Etruſca perrara, quam circa fines Tudertium effoſſam mihi ultro obtulit communis amicus noſter, frequens cum laude mihi memoratus, ANDREAS IOANNELLIVS, Sacrae Tudertis Eccleſiae Presbyter,

& in

& in hiſce Antiquitatum ſtudiis apprime veratus. Caelata eſt iaſpidi ſubflavi coloris.



Equum repraeſentat decurrentem: in hoc tamen a ceteris diſcrepat, quod ceteri ſine habenis decurrentes exhibentur, remotis hiſce impedimentis. Hic vero noſter non modo habenas, & lora habet, ſed & trahit ſoluta: novum quidem decurſionis genus, ſed non iniucundum, videre equos decurrentes ſecum trahere ea quae curſum ociſſimum praepedirent; ex quo labantes riſum populi laetitiamque excitarent; quemadmodum de excuſſis Rectoribus, & naufragis quadrigis contigiſſe obſervavimus in Notis ad LVCERNAS Tom. III. Pretium Gemmae addit Inſcriptio Etruſca I Ↄ A, quae Latine reddita eſt A V I. Quis autem in hoc lemmate feſtivam Populi Etruſci adclamationem

non

non cognoſcit? *Avi* enim eſt *vivere*, ut colligere eſt ex Inſcriptionibus ſepulcralibus iam editis, atque etiam ex ceteris omnibus nondum editis, integro abſolutoque Corpore in lucem proferendis, cura & ſtudio collectis a Clariſſimo noſtro GORIO, quo Theſauro mirifice augebitur, & amplificabitur Antiquariae Etruſcae eruditio. In his hanc vocem I𐌂A, hoc eſt AVI annorum notae numerales ſubſequuntur, de quibus fuſius in Roncalienſibus ſumus locuti. Si tamen velis nomen ipſum Equi currentis importare, haud repugnavero, VIVAX itaque nuncupetur, nec iam in Stadio, ſed in Eruditorum Coetu celebretur; quippe qui indubitatum praeſtat teſtimonium Etruſcos noſtros non ſolum Theatra, ſed & Stadia & Hippodromos habuiſſe, in quibus equeſtres decurſiones exhiberent. Vale communi Muſarum, & Amicorum bono, NOBILISSIME MONTEMELLINE, & Antiquitatibus Etruſcis eruendis, luceque ſempiterna donandis, maximo Litterariae Reipublicae incremento, ſedulam perge, ut facis, navare operam.

PISAVRI. Scribebam in meo Muſeo XII. Kalen. Auguſtas ann. R. S. CIƆ. IƆ. CC. XXXXVIII.

ADDENDA & MVTANDA

PAG. 6. v. leg. Hamburgi.

P. 7. v. 28. Negat Eruditiſſimus P. D. Paulus Maria Paciaudius hanc Epiſtolam, primum editam Venetiis inter Opuſcula ſcientifica, & a me in Not. xvi adlatam in hoc Symbolarvm Volumine pag. 67. a ſe ſcriptam fuiſſe. Id ſerius, quam par erat, me docuit; nempe ſtatim ac ex Melitenſi Vrbe, in qua Quadiageſimales Conciones ſummo Fidelium fructu, & plauſu habuit, Neapolim reverſus eſt, Menſe Iulio huius anni. Igitur Anonymi ea Epiſtola dicenda eſt, ubi mentio incidit, ac praeſertim pag. 136. quae etiam in Novis Litterariis Florentinis adfertur.

P. 12. Σύνναοι, & πάρεδροι, de quibus egregie diſſeruit Georgius Arnaudius ſingulari opere nuper edito, frequenter exprimuntur.

P. 13. Heic & alibi nonnullis in locis typothetarum incuria litterae *n* pro *u*, & *u* pro *n*, vel inverſae; item *h* pro *b*, vel e contra; interdum *t* pro *r*, occurrunt, facili negotio a benigno Lectore hac maculae emendandae.

P. 14. v. 30. C. Coelio Caldo, & Domitio Ahenobarbo Conſulibus, anno ſcilicet ex Anonymi Faſtis Caeſareis, V. C. DCLX. &c.

P. 16. v. 23. *lege* parvum oppidum, Epiſcopale tamen, eo in loco viſitur. Porro Cn. Pompeius Strabo, & L. Porcius Cato in Faſtis Conſularibus anno V. C. 665. ante Chr. N. 88. Conſules numerantur.

P. 19. v. 12. *iam ad exitum vergente*; verſ. 19. *Petavium impulerit*.

P. 23. v. 1. integer Obeliſcus -- v. 1. brevi diruantur.

P. 24. v. 30. Podium Bonitium.

P. 29. Inſignem hanc Tabulam nuper audivi quoſdam temere vel ſuſpicantes, vel adfirmantes eſſe confictam. Id quum prodierit, perſpicue patebit. Celeberrimus Muratorius eam egregie nunc illuſtrat, ut vulgandam tradat Sociis Columbariis Florentinis.

P. 34. v. 16. pretioſam ſupellectilem.

P. 35. v. 18. effodiuntur -- v. 26. qui in eius aedes.

P. 38. v. 30. atque illuſtrantur. Scio me complures Viros doctos in hac recenſione praetermiſiſſe; ſed id factum invita Minerva, quum ſcribenti tunc non occurrerent. Ceterum Romanis adcenſendi ſunt Viri Celeberrimi Praeſul Nicolaus Antonellius, P. Ioannes Franciſcus Baldinius, Canonicus Boldettius, P. Caſimirus Blanchius, Marianius, & alii quoque de litteris optime meriti. Venetis Doctiſſimus Apoſtolus Zenus, Patavinis Iacobus Facciolatus, Comes Io. Rinaldus Carlius, qui nunc valorem monetarum a Saec. X. ad Saec. XVI. aerumnoſo iudicio ſcrutatus eſt, & de his egregium Commentarium parat: Iulius Pontedera, Zanolinius, Brunaccius, multis cum laudibus nominandi: Panormitanis Canonicus Ioannes de Ioanne, qui Diplomaticum Siciliae Codicem adhuc exornat; & ſi qui alii ſunt, qui hanc aetatem illuſtrant, hos nominatos volo, & commendo. Illuſtribus Florentinis adde Doctiſſimum Antonium Cocchium Medicum, & Anatomes Profeſſorem, Imperatoris Caeſaris Aug. Cimeliarcham; item Cl. V. Ioſephum Mariam Brocchium, qui brevi accuratam Agri Mugellani Hiſtoriam in lucem proferet, adlata Chorographica Tabula, & complura antiqua monumenta illuſtrabit. Adde etiam praeſtantes Viros Angelum Mariam Riccium adhuc Homerum; & P. Hieronymum Lagomarſinium S. J. Ciceronis Opera enucleantes.

P. 42. Altera Inſcriptio ita corrigenda, ut notatur in pag. 155.

P. 44. in fine, *Coll' aſſiſtenza di P. Numiſio Architetto*.

P. 56. (2) in SC. de Bacchanalibus.

P. 57. v. 24. *Real Villa di Portici*.

P. 58.

P. 58. v. 2. *ho viſto un groſſo*, &c.

P. 74. v. 21. *le Inſcrizioni di Balbo* .

P. 90. *in fine* -- il Cluverio .

P. 92. (1) Quanto ſi ſoggiugne quì per Nota dall' Anonimo ; non ſuſſiſte ; perchè eſiſtono ancora cinque Marmi ſcritti con più di 600. Nomi di Liberti, e d'altre Perſone colla Tribù . Il Buſto di Giano Bifronte lo conſerva il Re in Napoli ; di che vengo aſſicurato per Lettera dal Dottiſſimo Signor Abate Martorelli ; onde queſta Nota non ci ha luogo , perchè è contraria al vero .

P. 105. 22. Marchioni Ioanni Poleno. v. 30. in primis Herculanei ruderum egeſtionibus .

P. 106. v. 3. cum lamella aurea. ſeq. v. 15. ad nos venit ante annum MDCCXXX.

P. 107. v. 25. *poſtquam artis diffiſus ſuae eſt* .

P. 108. v. 2. al. l. LITTERIS INSITIS . v. 15. Ad radices Clivi Capitolini .

P. 110. in fin. corrigendus Glandorpius. Appius Claudius Pulcher Conſul fuit anno V. C. DCLXXV. M. Antonius , & Poſthumius , quibus Coss. Aedilis fuerat , pertinent ad ann. V. C. DCLV.

P. 112. v. 5. terraemotibus .

P. 119. v. 8. multos honores .

P. 120. v, 4. ita reſtituenda Inſcriptio, ut notatur infra p. 155.

P . NVMISIVS . P . F . ARC . . T E C . . . .

P. 124. v. 13. iterum in alterum quinquennium .

P. 126. v. 8. Non nego tamen Annios .

P. 129. v. 25. qua diſcimus.

P, 130.

P. 130. v. 6. *omnis populus*.

P. 131. v. 28. & malis granatis, quae & punica dicuntur, refertus.

P. 133. v. 34. Iovis marmoreum ſimulacrum.

P. 136. v. 16. *Bacchae ovantes*. v. 32. terrifico adſpectu.

P. 141. v. 16. Veſuvii eructationem.

P. 142. v. 26. ἐν Θεάτρῳ τȣ̃ ὁμίλȣ αὐτῆς καθημένȣ. Huius loci veram lectionem ſe oſtenſurum ad me ſcripſit Vir Egregius Iacobus Martorellius, qui Vaticanos Codices, ac praeſertim vetuſtiſſimum omnium, conſulendum curavit.

P. 143. v. 6. & cineres penitus.

P. 154. v. 26. inventae etiam ſunt Statuae.

P. 157. v. 11. toto Orbe exſtat. Integram dixi, quia totum marmor uno in loco inventum eſt; ceterum aliqui docti homines ſunt, qui eam Statuam viderunt, aliquibus in locis reſtitutam miro artificio adſirmant, negantque elegantiorem eſſe ahenea M. Antonini, quae Romae ſpectatur in Capitolio. Quare caute legi cupio, quae adnotantur pag. 82 in Not. xx pag. 85. & alibi.

P. 166 v. 16. honoris monumentis.

P. 168. Hoc Elogium, quum antea non ſemel quatuor lineis ſcriptum miſiſſet Cl. Martorellius, poſtea me monuit tribus verſibus tantum conſtare.

P. 171. in fin. *Duumviros iterum*.

P. 173. v. 5. praeter Ponderale, ſeu Ponderarium (quod etiam in Gruteriano marmore pag. MXX. 10. memoratur.)

P. 174. v. 14. trecentos octoginta tres.

P. 176. v. 10. invenire me heic non potuiſſe.

P. 177. §. XXI. ita emendandum : *Praeſtantes Artes* &c. *apud Herculanenſes floruiſſe , oſtenduntur* .

P. 178. v. 6. Demaratus Corinthius .

P, 181. v. 30. ex quadrigis.

P. 184 v. 5. qui Suffecti fuere .

P. 185. poſt v. 15. ex eodem Capacio haec ſubiicienda , quae mihi Amicus doctus exſcripſit : *Ad D. Antonii Neapolim hoc Epigramma translatum eſt , quod* HERCVLANENSES *venerari profecto deberent ; in quo & Demarchiam , & Rempublicam , & patrocinium cognoſcunt , eandemque Coloniae ſortitam eſſe conditionem* . Igitur , Capacio auctore , pertinuit hoc marmor ad Herculanenſes , quod heic adnotandum cenſui , ut , quae ſequuntur , vel emendantur , vel accuratius a Doctis Neapolitanis expendantur , penes quos iudicium eſto .

P. 186. v. 13. *perindeac* Thermenſes , & v. 17. in *Vrbe Neapoli incolas* .

P. 190. v. 12. & 191. v. 19. ſcripſi *in Agro Retinate* , ex eodem Salvatore Varrone ; ceterum ex Plinio *Retina* , vel melius *Retinae Ager* .

P. 192. v. 8. *in litteris exeſis -- in fine :* dum hoc Opuſculum ,




Elogio ſcritto nella Base della ſtatua Equestre nella testata davanti.



Veduta delle due facce laterali dell' insigne maravigliosa ſtatua Equestre, cavata da un intero marmo, grande presso che al naturale, trovata l'anno 1739 negli ſcavi fatti presso la Real Villa di Portici d' ordine del Re delle due Sicilie, collocata nel Loggiato di essa, dedicata dagli Ercolanesi a M. Nonio Balbo Pretore, e Proconsolo.




n Museo Montemellinio



nsium inventa anno CIↃ. IↃ. CC. XXXVIII.



Extat Perusiae in Museo Montemellinio



Mensa sacra Lapidea Herculanensium inventa anno CIↃ. IↃ. CC. XXXVIIII.

94-B 3181